GODOFREDI HERMANNI

PROFESS. PHILOS. PVBL. EXTRAORD.
IN ACAD. LIPS.

OBSERVATIONES CRITICAE

IN QVOSDAM LOCOS

AESCHYLI ET EVRIPIDIS

LIPSIAE

APVD GERHARDVM FLEISCHERVM IVN.

1798.

Quum ego inde ab longo tempore plurimum ſtudii in metrorum doctrina peruеſtiganda poſuiſſem, ita demum hanc rem recte atque vtiliter agi arbitratus ſum, ſi eam non inchoatam relinquerem, ſed magis magisque expolirem ac perficerem. Quare

quum Plauti edendi consilium cepissem, aliquantisper Heynii auctoritate ab ea re reuocatus, ad Pindarum mentem meam et curam applicui. Inde studio inter Graecos Latinosque scriptores aequaliter diuiso, ea denique omnia scripta, in quibus metrorum ratio difficultate aliqua laboraret, deinceps pertractare decreui. Quae quidem res quum et temporis et operae plurimum requirat, non nimis festinabitur. Nam qui maxime scriptores ad hoc genus pertinent, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes, nemo tam rudis est, quin sciat, quam sint omni genere corruptionis obruti. Illud ta-

men affirmare aufim, Aefchylum, a quo caeteros difficultate fuperari plurimi putant, multo minus effe, quam illos, deprauatum. Maximum vero omnium laborem criticis offert Euripides, qui vt in iis tragoediis, quae minimam funt virorum doctorum curam expertae, omni genere fqualoris adhuc obfitus eft, ita in his quoque fabulis, quibus Valkenarius et Brunkius admirabili induftria opem afferre conati funt, haud paucis in locis non modo metrorum, fed etiam lectionis laborat obfcuritate. Ariftophanes autem, de quo Brunkius vnus omnium optime meritus eft, in metrorum faltem ratione non

eſt Euripide integrior. Accedunt leges quaedam tum prosodiae, tum omnino rationis grammaticae, quas Daweſius potiſſimum protulit, magnis obnoxiae dubitationibus. In quibus legibus perpendendis, ac vel confirmandis vel refutandis, plurimum diligentiae et aſſiduitatis ponatur neceſſe eſt. Quod ſi hoc efficere mihi contigerit, vt horum poetarum metra penitus perueſtigauerim, ſpero fore, vt haec certe pars doctrinae grammaticae ad iuſtae diſciplinae formam adducatur, ſimulque, ſicut omnes artes quadam inter ſe neceſſitudine cohaerent, aliae quoque veteris ſcientiae partes aliquid vtilitatis accipi-

ant. Neque enim is ego ſum, qui inſignem vitae partem verſibus dimetiendis impendere velit, niſi ſimul diuina poetarum ſapientia, hiſtoriae cognitio, philoſophiae cogitatio animum capiat atque retineat. Immo nihil vsquam eſſe arbitror, quod recte poſſit ac vera cum vtilitate agi, niſi rerum omnium inter ſe coniunctione et ſocietate bene intellecta, quae lumen omnibus hominum ſtudiis veramque dignitatem affert.

Eius igitur, de quo dixi, conſilii aliquod ſpecimen et quaſi initium nunc edidi, quo viri docti intelligerent, qua ratione hoc genus litterarum tractaturus eſſem. Quibus ſi

operam meam non displicere intellexero, eo magis ad continuationem horum ſtudiorum incitabor.

Scrib. in Vniuerſitate Artium Lipſienſi d. XVI. Martii cIↃIↃCCXCVIII.

OBSERVATIONES CRITICAE

CAP. I.

Emendantur loci quidam Aeschyli in Prometheo. Μὴ *abundat. Gabii Scythae iidem, qui Abii. Temporum et modorum verbi in Graeca lingua non satis certa consequutio. Corrigitur Xenophon.*

Saepenumero miratus sum, quid esset, quod plurimi hac aetate criticae artis studia ab interpretandi negotio separare, quam vtrumque genus coniungere mallent. Qui si ea re et doctorum virorum se putant et tironum commoditati prospicere, vereor ne satisfaciant neutris. Nam vtriusque studii ita coniuncta est et cognata ratio, vt neutrum ab altero diuelli sine vtriusque detrimento possit. Nam criticae quidem artis et inanis est et peruersus vsus, nisi argumenta accedant ex interpretatione petita, quibus spuria et corrupta reiiciantur, genuina

autem et ſana confirmentur. Interpretatio autem, cuius hoc eſt officium, vt mentem ſcriptorum et virtutes et vitia declaret, ſi criticae artis auxilio deſtituta eſt, quum incerta atque imperfecta, tum inutilis etiam ac vana ſit neceſſe eſt. Quare quod vulgo interpretari vocant, ſingulorum verborum ſignificationem et locorum ſenſum explicare, id vehementer dubito an hoc nomine non ſatis dignum ſit. Nam quemadmodum partium cuiusque rei ratio e natura demum eius rei, cuius illae partes ſunt, recte perſpicitur, ita qui tandem interpretatio ea probari et laudari poterit, in qua id, quod ſummum eſt, aut penitus neglectum ſit, aut non ſatis accurate tractatum? Atque hoc in poetarum maxime interpretatione factum animaduertimus, quae natura ſua plurimis et grauiſſimis difficultatibus abundat. Nimirum et criticae artis et interpretationis maior quidam in poetis vſus eſt atque vberior fructus, quam plerique exiſtimant. Quae artes ſi in hoc ſolo conſiſtunt, vt ſingulorum locorum obſcuritates dimoueant, vereor, ne in re tenui et non ſatis digna liberalibus ingeniis operam ludamus. Etenim ſi lectionis poetarum maxima vis in animorum cultura ex-

promitur, grauiſſimum et critici et interpretis erit officium, vt vniuerſam cuiusque carminis rationem diligenter perpendat beneque explicet, praeſertim quum haec res vt in emendatione verborum perutilis, ita in explicatione ſingulorum locorum plane neceſſaria ſit. Quo magis miror eos, qui hoc omni negotio defunctos ſe putant, ſi leuiter commendata cuiuslibet carminis praeſtantia, in ſingulis deinceps locis aſſenſum lectorum atque admirationem interrogando, orando, obteſtando extorquere ſtudent. Qui mihi videntur hac re ſuam ipſi fateri imperitiam. At enim in hac re philoſophia duce opus eſt, cuius quidem hic locus, qui eſt de pulcritudine et artibus iis, quae animi commouendi cauſſa inuentae ſunt, nondum ſatis explicatus eſt. Atque huius quoque rei ars quaedam eſt et diſciplina, quae inuenienda ante atque explicanda eſt, quam adhiberi atque exerceri poſſit. Alia enim in hoc genere ſunt, quae certis definitisque notionibus comprehendi poſſint, alia, quae ſenſui cuiusque atque arbitrio relinquenda ſint. Quarum rerum ratio quum ſatis diligenter expoſita ac perſpicue intellecta erit, quod minoris eſt negotii, quam plerique exiſtimare videntur, tum demum plane excultum ac

perfectum iri interpretationem poetarum ſperamus. Quo magis egregia quorumdam admiramur ingenia, qui in tanta iſtarum rerum controuerſia ac disceptatione ſtudio ſuo et diligentia id conſequuti ſunt, vt merito in exemplis habeantur bonorum interpretum. Atque Aeſchylo potiſſimum; qui vel poeticarum virtutum ſplendore inter alios poetas maxime eminet, vel lectionis deprauatione corruptiſſimus ad hanc aetatem peruenit, eum laetamur explicatorem contigiſſe, qui cum ampliſſima doctrinae copia et ſummo criticae ſubtilitatis acumine omnis etiam eruditionis cultiſſimam elegantiam coniungeret. Is quidem a caeterorum leuitate ita diſceſſit, vt non ſolum Aeſchyli editores reliquos longe ſuperaverit, ſed omnibus etiam, qui bene mereri de veteribus poetis cupiunt, viam praeiuiſſe videatur. Sed quum illud tantum eſſet ac tam difficile opus, vt ei perficiendo vnius hominis opera et ſtudium vix ſufficerent, fieri non poterat, quin in quibusdam locis nonnihil dubitationis relictum videretur. In quibus quum nonnulli ſint, quibus ego me aliquid lucis allaturum eſſe ſperem, de iis commemorabo quid ſentiam.

Ac primum in Prometheo v. 235. haec leguntur:

ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξερυσάμην βροτοὺς
τοῦ μὴ διαῤῥαισθέντας εἰς ᾅδου μολεῖν.

Quae verba quum Schützio non viderentur ex omni parte ſana eſſe, docte atque eleganter coniecit, pro his, τοῦ μὴ, ſcribendum eſſe τὸ μὴ οὐ. Ac notum quidem eſt, poſt verba ea, quae natura ſua aliquam negationem aut detractionem ſignificant, etiam praeter neceſſitatem particulam μὴ adhiberi, vt v. 248.

θνητοὺς ἔπαυσα μὴ προδέρκεσθαι μόρον,

e quo verſu τὲ eiiciendum. In hoc genere exemplorum ὥστε omiſſum volunt grammatici, ut μὴ non abundet: idque recte videntur facere. Non tamen idcirco ii loci, in quibus ὥστε non poteſt ad explicationem adhiberi, in corruptis habendi ſunt. Nam quemadmodum in aliis dicendi formulis apud Graecos duplex negatio praeter neceſſitatem adhibetur, ſic idem etiam tum recte fit, quum altera negatio occultius delitescit. Quod vt Aeſchylus fecit in his, ἐξερυσάμην τοῦ μὴ διαῤῥαισθέντας εἰς ᾅδου μολεῖν, ita Xenophon ſcripſit in Cyropaedia II. 4, 23. οὓς

δὲ μὴ δύναιντο λαμβάνειν, ἀποσοβοῦντες ἂν ἐμποδὼν γίγνοιντο τοῦ μὴ ὁρᾷν αὐτοὺς τὸ ὅλον στράτευμα. Et in Anabasi I. 3, 2. Κλέαρχος δὲ τότε μὲν μικρὸν ἐξέφυγε τοῦ μὴ καταπετρωθῆναι.

Inde a v. 406. chorus haec dicit Prometheo:

πρόπαντα δ' ἤδη στονόεν λέλακε χώρα,
μεγαλοσχήμονα κἀρχαιοπρεπῆ στένουσα τὰν σὰν
ξυνομαιμόνων τε τιμάν,
ὁπόσοι τ' ἔποικον ἁγνᾶς
Ἀσίας ἕδος νέμονται,
μεγαλοστόνοισι σοῖσι
πήμασι συγκάμνουσι θνητοί·
Κολχίδος τε γᾶς ἔνοικοι
παρθένοι, μάχαις ἄτρεστοι,
καὶ Σκύθης ὅμιλος, οἳ γᾶς
ἔσχατον πόρον ἀμφὶ Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν,
Ἀραβίας τ' ἄρειον ἄνθος,
ὑψίκρημνον θ' οἳ πόλισμα
Καυκάσου πέλας νέμονται,
δάϊος στρατός, ὀξυπρώροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς.

In his facile intelligitur hoc fuiſſe poetae conſilium vt eas tantum regiones, quae ſitae eſſent circa illum locum Scythiae, in quo ad rupem affixus erat Prometheus, caſu eius afflictas commemoraret. Vnde non poteſt dubium eſſe, quin Arabiae nomen corruptum ſit. Nam quid attinebat Arabiae hic mentionem facere, quae tanto terrarum tractu disſita eſſet, vt difficillime eo Promethei fama peruenire poſſet? Accedit, quod haec ſola ex orientis regionibus, atque in mediis quidem ſeptemtrionalibus locis nominatur. Tamen ſatis antiquum hoc vitium eſt, quum iam ſcholiaſtes ita legerit, cuius haec verba ſunt: *πῶς τὴν Ἀραβίαν Καυκάσῳ συνῴκισεν; ὁ Στράβων φησίν, οἱ Τρωγλοδύται μεταξὺ Μαιώτιδος καὶ Καυκασίας.* Qui quidem peſſime errauit, quum Troglodytas eos, qui ad ſinum Arabicum habitarunt, huc retulit. Nam praeter hos, de quibus Strabo in principio libri XVII. exponit, duae gentes eodem nomine dictae occurrunt, altera ad Iſtrum circa Tomos, de qua Strabo lib. VII. p. 490. altera inter Caucaſum et paludem Maeotidem, de qua idem Strabo lib. XI. p. 772. refert, quem locum in mente habuit ſcholiaſtes. At Aeſchylo quidem prorſus indigna eſt tanta imperitia, vt confuſo diuerſorum

Troglodytarum nomine ipſam Arabiam ex oriente in ſeptemtrionem transportaret. Quare Schützius, quum nomen loci, qui propinquus Prometheo eſſet, requiri animaduerteret, Χαλυβίας legendum coniecit, quod nomen vrbi cuidam fuiſſe memorat ſcholiaſtes Apollonii Rhodii ad II. 371. quam Chalybes, qui in iſtis regionibus fuerunt, habitauerint. Quae coniectura quantumuis docta et probabilis ſit, videor mihi tamen certiora quaedam alius lectionis veſtigia deprehendiſſe. Fuit enim in Scythia Abiorum gens, cuius ſedes, vt in ignota parte orbis, non ſatis certo ab antiquis ſcriptoribus definita eſt. Eos iam Homerus loco illo celeberrimo commemorauit, Iliad. XIII. 6.

> αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ,
> νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος αἶαν,
> Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν,
> γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Qui ipſe locus, quod etiam Strabo lib. VII. p. 453. vidit, eos ab Homero in Scythia Europaea ſupra Thraciam collocatos demonſtrat. Ab recentioribus autem in Scythia Aſiatica verſus orientem ponuntur, quod patet ex Arriano, qui in principio libri IV. de exped. Alexandri

ſic ſcribit: *οὐ πολλαῖς δὲ ἡμέραις ὕστερον ἀφικνοῦνται παρ' Ἀλέξανδρον πρέσβεις παρὰ Σκυθῶν τῶν Ἀβίων καλουμένων, οὓς καὶ Ὅμηρος δικαιοτάτους ἀνθρώπων εἰπὼν ἐν τῇ ποιήσει ἐπήνεσεν. οἰκοῦσι δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καὶ οὗτοι αὐτόνομοι, οὐχ ἥκιστα διὰ πενίαν τε καὶ δικαιοσύνην.* Ita etiam Curtius VII. 6. et Ammianus Marcellinus XXIII. 6. qui quum de Hyrcanis ante dixiſſet, *contra hanc gentem*, inquit, *ſub Aquilone dicuntur Abii verſari, genus piiſſimum, calcare mortalia conſuetum: quos, vt Homerus fabuloſus canit, Iuppiter ab Idaeis montibus contuetur.* Iam vt de his apud Aeſchylum agi exiſtimem, Euſtathius me mouet, qui ad Iliad. XIII. p. 916. ita de Abiis ſcribit: *Αἴσχυλος δὲ φασὶν αὐτοὺς Γαυΐους λέγει.* In quo ſcripturae vulgaris error corrigendus eſt e ſcholiaſta Veneto ad Iliad. XIII. 6. in quo eſt, *τούτους Αἴσχυλος Γαβίους φησίν.* Manifeſtum vero eſt, hoc nomen a *γῇ* ductum eſſe, quod terrae fructibus maxime haec gens veſceretur, ob eamque rem primam ſyllabam longam eſſe. Scribendum igitur puto,

Γάβιοι τ', ἄρειον ἄνθος,

qui verſus plane congruit cum ſtrophico,

Κολχίδος τε γᾶς ἔνοικοι.

Nam lectio Ἀραβίας inde orta videtur, quod interpretes, quum facillimo errore ſcriptum inuenirent Ἀράβιοι, pro gentis nomine nomen regionis adſcripſerunt, quo facilius intelligeretur vocabulum ἄνθος: cuius loco quum in quibusdam libris ἔθνος legatur, ſuſpicor corruptae lectionis Ἀράβιοι τ' ἄρειον ἄνθος hoc ferme fuiſſe ſcholion, Ἀραβίας τ' ἄρειον ἔθνος. Neque eſt, quod quis de epitheto ἄρειον, quo hic Gabii deſcribuntur ſollicitus ſit. Qui vt maxime floruerint iuſtitiae et aequitatis laude, tamen nec molles, nec virtutis bellicae prorſus expertes fuiſſe accepimus. De his Curtius VII. 6. *legati deinde Abiorum Scytharum ſuperueniunt, liberi ex quo deceſſerat Cyrus; tum imperata facturi. Iuſtiſſimos barbarorum conſtabat: armis abstinebant, niſi laceſſiti.* Et ſcholiaſtes Homeri Venetus, loco indicato, πάντων Σκυθῶν ὑποκυψάντων Ἀλεξάνδρῳ, μόνους Ἀβίους φασὶν οὐχ ὑπεῖξαι, μόνον δὲ ἐπισκεψαμένους τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐπικηρυκεύσασθαι πρὸς αὐτόν. Eamdem rem, ſed de alia gente Scythica, Strabo narrat lib. VII. loco ſupra allato.

Sequitur continuo aliud carmen, quo nihil in toto Prometheo nec difficilius, neque corruptius eſt.

425 Μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ᾽ ἀκαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεῶν
Ἄτλανθ᾽, ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον
430 νώτοις ὑποστενάζει.
βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων
ξυμπιτνῶν, στένει βυθός,
κελαινὸς δ᾽ Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχὸς
γᾶς, παγαί θ᾽ ἁγνορύτων ποταμῶν
435 στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

In his ante omnia animaduertendum eſt, id quod inſigne eſt in emendando adiumentum, verſus non eſſe monoſtrophicos, quod hactenus omnes putarunt, ſed antiſtrophicos. Id enim arguunt v. 428—430. qui ſatis bene tribus vltimis reſpondent. Caeteri autem quo minus inter ſe congruunt, eo certius vitia licebit indagare. Ac prima ſtatim verba, *μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις δαμέντ᾽ ἀκαμαντοδέτοις Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεῶν Ἄτλαντα*, multiplici modo contaminata ſunt. Primum enim quid hoc eſt, *ἐν πόνοις δαμέντα ἀκαμαντοδέτοις λύμαις*? Recte ſane dicitur aliquis *λύμαις δαμῆναι*, recte etiam *δαμῆναι ἐν πόνοις*, vt in Odyſſea eſt VIII. 231.

λίην γὰρ ἀεικελίως ἐδαμάσθην
κύμασιν ἐν πολλοῖς.

At vtrumque coniungi non poteſt. Nec, ſi ἐν πόνοις ad εἰςιδόμαν referretur, languidiſſima tautologia euitari poſſet. Tum ἀκαμαντόδετος vocabulum eſt omni ſignificatione deſtitutum. Nam quis tandem tam ineptus ſit, vt aliquid ſine fatigatione vinctum et conſtrictum dicat, quum in vincula, in quibus nihil ineſt actuoſum, ne cadat quidem defatigatio. Itaque melius certe Stanleius, qui correxit ἀδαμαντοδέτοις. Denique etiam θεῶν longius, quam fieri debebat, a μόνον remotum eſt. Sed pro eo recte Robortellus θεὸν exhibuit.

Nec minus deprauata ſunt, quae inde ſequuntur, ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ὑποστενάζει. In quibus coniunctio τὲ certe non elegans eſt; illa autem οὐράνιον πόλον νώτοις ὑποστενάζει intelligi plane nequeunt. Hinc iam olim in quibusdam libris editum fuit ὑποβαστάζει, quae manifeſta eſt criticorum mutatio, ſed ea ſatis infelix, quum metro repugnet, quod verſus antiſtrophicus demonſtrat,

στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

Eademque cauſſa eſt, quare Schützii coniecturis accedere non poſſim, qui ſic legendum putat,

ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
κραταιῶν, οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ἐρείδων ὑποστενάζει,

vel,

νώτοις φέρων ὑποστενάζει,

vel,

νώτοισιν ὑποβαστάζων στενάζει,

vel etiam,

ὃς αἰὼν, ὑπειρέχων σθένος
κραταιόν, οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ἐρείδων ὑποστενάζει.

In quibus κραταιῶν certe nullo pacto ab Aeſchylo profectum arbitror, quod vocabulum mihi quidem ſola noui teſtamenti auctoritate notum eſt. Illa autem ὑπειρέχων σθένος κραταιόν, vt poſſint cum metro conciliari, non tamen ſatis videntur neruoſa eſſe.

Antiſtropha multo eſt integrior. In qua illa tantummodo vitioſa ſunt, κελαινὸς δ' Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς. Nam etſi qui Ἄϊδος μυχὸς, et qui γᾶς μυχὸς ſit, non eſt obſcurum, tamen duplex ille genitiuus Ἄϊδος μυχὸς γᾶς, non ſolum inepte, verum etiam perperam plane adhibitus foret. Ex quo facile intelligitur, locum mutilum eſſe.

In tanta vitiorum multitudine bona tamen fortuna accidiſſe laetamur, vt in emendando hoc loco metri admonitione vti liceat. Nam qui verſus in ſtropha corrupti ſunt, ii in antiſtropha ab errore immunes reperiuntur, in qua viciſſim quod vitio laborat, in ſtropha ſanum eſt. Sed vt breui complectar, adſcribam locum, vt a me emendatus eſt.

Stropha

Μόνον δὴ σεο πρόσθεν ἄλ-
λον δαμέντα δυσπόνοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεὸν
Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος
κραδαίνων οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει.

Antistropha

βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων
συμπιτνῶν, στένει βυθός,
κελαινὸς δ᾽ Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχός,
. . . .
γᾶς, παγαί θ᾽ ἁγνορύτων ποταμῶν
στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

Horum verſuum primus dimeter antiſpaſticus eſt, qui in antiſtropha e puris iambis conſtat. Σέο autem ex ed. Aldina et libro Oxonienſi addidi, in quibus eſt πρόσθεν σου. Deinde verbum ἀκαμαντοδέτοις plane deleui. Id enim haud dubie e ſimili loco hic exempli cauſſa additum fuit, qui legitur v. 146.

σὸν δέμας εἰσιδούσῃ
πέτρᾳ προσαυαινόμενον
ταῖσδ᾽ ἀδαμαντοδέτοισι λύμαις.

Ἐν ortum videtur ex vltima ſyllaba praecedentis vocabuli. Pro πόνοις autem δυσπόνοις repoſui. Cuiusmodi mutatio, alibi temeraria futura, in tam corrupto loco ne audax quidem iure exiſtimabitur. Nec verborum transpoſitio inſolens videbitur iis, qui codicum lectiones

in melicis maxime carminibus diligenter comparare consueuerunt. Cuius rei in Pindaro quoque, qui multo tragicis integrior ad nostra tempora peruenit, plurima exempla occurrunt, quae indicaui in commentatione de metris Pindari, quam Heynius editioni suae addi voluit, ad Pyth. II. 131. Est autem secundus versus trochaicus, tertius et quartus asynarteti e dochmiis. Porro in his, *ὑπέροχον σθένος, οὐράνιόν τε πόλον*, coniunctio τὲ vim explicandi habet, vt apud Homerum Iliad. V. 398.

αὐτὰρ ὁ βῆ πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον,

et in hymno Apollinis v. 17.

κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον.

In quinto versu, qui ex antispasto est et monometro anapaestico, *κραδαίνων* scripsi, id est, *iactans, torquens.* Ita Aristophanes Acharn. 964.

ὁ δεινός, ὁ ταλαύρινος, ὃς τὴν Γοργόνα
πάλλει, κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους.

et v. 967.

ἀλλ' ἐπὶ ταρίχη τοὺς λόφους κραδαινέτω.

Dicit igitur plane eadem Aeschylus, quae Virgilius Aen. IV. 481.

vbi maximus Atlas
axem humero torquet ſtellis fulgentibus aptum.

Ac fortaſſe Ennius quoque, quem imitatus eſt Virgilius, lib. I. Annalium de Atlante ſcripſerat,

qui caelum verſat ſtellis fulgentibus aptum,

quem verſum ſeruauit Macrobius Sat. VI. 1.

In antiſtropha nihil erat, quod mutaretur, ſi lacuna indicata eſſet, quam etiam metrum ſtrophae confirmat. Ita quum in aliis Aeſchyli tragoediis, tum in ipſo etiam Prometheo quaedam interciderunt, vt poſt verſum 541. deinde v. 550. et poſt v. 797. et v. 902.

V. 456. ſeqq. haec leguntur:

ἀλλ᾽ ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν
ἔπρασσον, ἔς τε δή σφιν ἀντολὰς ἐγὼ
ἄστρων ἔδειξα, τάς τε δυσκρίτους δύσεις.
καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων
ἐξεῦρον αὐτοῖς, γραμμάτων τε συνθέσεις,
μνήμην. θ᾽ ἁπάντων μουσομήτορ᾽ ἐργάνην.

κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
ζεύγλῃσι δουλεύοντα σάγμασιν θ', ὅπως
θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
γένωνθ'· ὑφ' ἅρματα τ' ἤγαγον φιληνίους
ἵππους, ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς.

In his primum verba, τάς τε δυςκρίτους δύσεις, dubitationem mouent. Mirum enim eſt, quod occaſus ſiderum difficiles obſeruatu dicit, qui quum facile animaduerti queant, tum certe non ſunt obſcuriores, quam ortus, de quibus nihil huiusmodi addidit. At vero Aeſchylus ſcripſit,

τάς τε δυςκρίτους ὁδούς.

Quam lectionem ſeruauit Stobaeus ecl. I. 2. Deinde hic quoque verſus,

μνήμην θ' ἁπάντων, μουσομήτορ' ἐργάνην,

vitio laborat. Nam vt de arte quadam memoriae, quae primum ab Simonide inuenta fertur, dixerit Aeſchylus, quae tandem illa ars fuit, quae rudibus et incultis hominibus a Prometheo adhiberetur, niſi aut poeſis, cuius nemo Prometheum inuentorem perhibuit, aut ipſa

ſcribendi ars, quae modo commemorata erat. Quam enim artem memoriae Simonides excogitauit, ea illorum temporum conditioni apta non fuit. De qua Cicero lib. II. de oratore c. 86. *inueniſſe*, inquit, *fertur, ordinem eſſe maxime, qui memoriae lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos eſſe capiendos, et ea quae memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his locis collocanda; ſic fore, vt ordinem rerum locorum ordo conſeruaret; res autem ipſas rerum effigies notaret, atque vt locis pro cera, ſimulacris pro litteris vteremur.* Tum vero *μνήμη* memoriam ſignificat, non artem memoriae. Quae quum ita ſint, quis non admiretur ingenioſam emendationem Hemſterhuſii, quam Brunkius recepit,

γραμμάτων τε σύνθεσιν,
μνήμης ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην.

Quam emendationem confirmare videtur codex Pariſinus 2782. in quo eſt *μουσομήτορος*, vt in quibusdam libris *μνήμης* olim fuiſſe coniicias. Licebit tamen ſimpliciorem etiam et faciliorem corrigendi viam ſequi, ſi nihil praeter coniunctionem *τὲ* deleueris. Quo facto locus ita interpungendus erit:

γραμμάτων τε συνθέσεις,
μνήμην ἁπάντων, μουσομήτορ᾽ ἐργάνην.

Denique in his,

κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
ζεύγλῃσι δουλεύοντα σάγμασίν θ᾽, ὅπως
θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
γένωνται,

γένοιντο contra omnes libros ſcribendum putarunt critici, propterea quod γένωνται ſoloecum putarent. Mihi ſecus videtur. Nam ſane quidem conſuetudo optatiuum exigit, praecedente verbo praeteriti temporis, ſed ea conſuetudo non tantam vim habuit, numquam vt ab ea boni ſcriptores recedendum putauerint. Quare licet adeo frequenter in hoc genere erratum fuerit ab librariis, vt plerumque huiusmodi exempla recte corrigi videantur, quod in Iliade circiter quindecim in locis ab ſe factum dicit Wolfius in prolegomenis p. 35. non tamen omnia aut poterunt aut debebunt mutari. Sic Aeſchylus in Choephoris v. 730. ſeqq.

Αἴγισθον ἡ κρατοῦσα τοὺς ξένους καλεῖν
ὅπως τάχιστ' ἄνωγεν, ὡς σαφέστερον
ἀνὴρ ἀπ' ἀνδρὸς τὴν νεάγγελτον φάτιν
ἐλθὼν πύθηται τήνδε.

Aristophanes in Ecclesiazusis 116.

οὐκοῦν ἐπίτηδες ξυνελέγημεν ἐνθάδε,
ὅπως προμελετήσωμεν, ἅκεῖ δεῖ λέγειν.

Pindarus Pyth. IV. 160.

καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνόν,
ἐξ ἀνικάτου φαρέτρας ὀρνύμενον,
ὄφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτά-
των ἐπιψαύειν ἔραται.

Contra apud Xenophontem de exped. Cyri I. 6, 9. male edidit Zeunius: συμβουλεύω ἐγὼ τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐκποδὼν ποιεῖσθαι ὡς τάχιστα, ὡς μηκέτι δέοι τοῦτον φυλάττεσθαι, ἀλλὰ σχολὴ εἴη ἡμῖν, τὸ κατὰ τοῦτον εἶναι, τοὺς ἐθελοντὰς φίλους τούτους εὖ ποιεῖν. Vbi quum vulgo deſit εἴη, atque vnus tantum liber Etonenſis ᾖν habeat, facile patet ex vulgari vſu et conſuetudine linguae ſcribendum eſſe: συμβουλεύω ἐγὼ τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐκποδὼν ποιεῖσθαι ὡς τάχιστα, ὡς μηκέτι δέῃ τοῦτον

φυλάττεσθαι, ἀλλὰ σχολὴ ᾖ ἡμῖν, τὸ κατὰ τοῦτον εἶναι, τοὺς ἐθέλοντας φίλους τούτους εὖ ποιεῖν. Nam quae ibi exempla attulit Zeunius, vt oſtenderet, ὡς cum optatiuo coniungi, his nihil plane efficitur, quum in omnibus praeteritum tempus praecedat. Eodem modo VII. 3, 36. quum e quibusdam libris legendum eſſet, ἐγὼ δ᾽, ὁπόταν καιρὸς ᾖ, ἥξω παρ᾽ ἡμᾶς, male edidit εἴη. Nec tamen loci ex eodem ſcriptore deſunt, in quibus optatiuus occurrat, vbi e more coniunctiuus poni debuiſſet. Ita in Cyropaedia I. 2, 6. ἃ δὲ ἑκάστῃ τῇ ἡλικίᾳ προστέτακται ποιεῖν, διηγησόμεθα, ὡς μᾶλλον δῆλον γένηται, ᾗ ἐπιμέλονται, ὡς ἂν βέλτιστοι εἶεν οἱ πολῖται. et 2, 10. καὶ αὐτός τε θηρᾷ καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως ἂν θηρῷεν, vbi Stobaeus habet θηρῶσιν. Et 3, 8. οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρείως ἐγχέουσι, καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προςφέρουσιν, ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν. Ibidem 18. ὅπως οὖν μὴ ἀπολῇ μαστιγούμενος, ἐπειδὰν οἴκοι εἴης, ἂν παρὰ τούτου μαθὼν ἥκης ἀντὶ τοῦ βασιλικοῦ τὸ τυραννικόν, ἐν ᾧ ἔνεστι τὸ πλέον οἴεσθαι χρῆναι ἁπάντων ἔχειν. Et cap. 6, 19. ἀλλὰ τοῦ μὲν αὐτὸν λέγειν, ἃ μὴ σαφῶς εἰδείη, φείδεσθαι δεῖ, ὦ παῖ. Et II. 4, 10. vbi

quum ante, vt debebat, coniunctiuo usus esset, deinde adhibuit optatiuum in his: δοκεῖ γάρ μοι, ἔφη, πάντας μέν, οὓς ἄν τις βούληται ἀγαθοὺς συνεργοὺς ποιεῖσθαι ὁποιουτινοσοῦν πράγματος, ἥδιον εἶναι, εὖ τε λέγοντα καὶ εὖ ποιοῦντα παρορμᾷν μᾶλλον, ἢ λυποῦντα καὶ ἀναγκάζοντα· οὓς δὲ δὴ τῶν ἐς τὸν πόλεμον ἔργων ποιήσασθαί τις βούλοιτο συνεργοὺς προθύμους, τούτους παντάπασιν ἐμοί γε δοκεῖ ἀγαθοῖς θηρατέον εἶναι καὶ λόγοις καὶ ἔργοις. Sed IV. 1, 18. in his, ὅρα μὴ πολλῶν ἑκάστῳ ἡμῶν καὶ ὀφθαλμῶν καὶ χειρῶν δεήσοι, vereor ne rectius MS. Guelf. habeat futurum, δεήσει. Ita etiam in Anabasi IV. 6, 10. e MS. Eton. legendum videtur, λάβωμεν et ἀποβάλωμεν pro optatiuis. Aliud exemplum optativi pro coniunctivo positi est in Cyropaedia VII. 5, 56. νῦν δ' ἐπειδὴ οὐχ οὕτω τρόπου μόνον ἔχεις, ἀλλὰ καὶ ἄλλους ἀνακτᾶσθαι δύνασαι οὓς καιρὸς εἴη, ἤδη καὶ οἰκίας σε τυχεῖν ἄξιον. In quo loco ἄλλως scribendum necessario est pro ἄλλους, quod libri habent. Ibidem 81. ὡς δ' ἂν ἥδιστα φαίνοιτο, αὐτός τις αὑτῷ ταῦτα παρασκευάσει. Neque enim in his exemplis, in quibus ὡς vel ὅπως cum particula ἂν coniungitur, huic particulae debetur optatiuus. Ita recte et sic, vt consuetudo ac regula linguae postulat, Euripides in Hippolyto v. 286.

οὐ μὴν ἀνήσω γ' οὐδὲ νῦν προθυμίας,
ὡς ἂν παροῦσα καὶ σύ μοι ξυμμαρτυρῇς,
οἵα πέφυκα δυστυχοῦσι δεσπόταις.

et Plato in Sympoſio XX. 8. διὰ ταῦτα δή, οἶμαι, πάντα λόγον κινοῦντες ἀνατίθετε τῷ Ἔρωτι. καὶ φατὲ αὐτὸν τοιοῦτόν τε εἶναι καὶ τοσούτων αἴτιον, ὅπως ἂν φαίνηται ὡς κάλλιστος καὶ ἄριστος. Ab illis quidem locis, in quibus optatiuus coniunctiui loco poſitus reperitur, bene discernendi ſunt ii, in quibus praesens illud praeceſſit, quo hiſtorici pro praeterito vtuntur. Ibi enim recte, et vt linguae ratio poſtulat, optatiuus adhibetur vt in Cyropaedia IV. 2, 4. οἱ δὲ πεμφθέντες λέγουσι Κύρῳ, ὅτι μισοῖέν τε τοὺς Ἀσσυρίους δικαίως, νῦν τε, εἰ βούλοιτο ἰέναι ἐπ' αὐτούς, καὶ σφεῖς ξύμμαχοι ὑπάρξοιεν καὶ ἡγήσοιντο. Eodem pertinent ii loci, in quibus coniunctiuus vim praesentis hiſtorici habet, vt in Anabaſi VII. 1, 2. ἐκ τούτου δὲ Φαρνάβαζος, φοβούμενος τὸ στράτευμα, μὴ ἐπὶ τὴν αὐτοῦ ἀρχὴν στρατεύηται, πέμψας πρὸς τὸν ναύαρχον, — ἐδεῖτο διαβιβάσαι τὸ στράτευμα ἐκ τῆς Ἀσίας καὶ ὑπισχνεῖτο πάντα ποιήσειν αὐτῷ, ὅσα δέοι. Similis ratio eſt, vbi optatiuus praeteritum ſignificat, vt in Cyropaedia VIII. 2, 14. καὶ λόγος δὲ αὐτοῦ ἀπομνημονεύεται, ὡς λέγοι παρα-

πλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ. Contra idem Xenophon etiam coniunctiuo vtitur, vbi consuetudo optatiuum requirit, vt IV. 5, 48. καὶ γὰρ νῦν, ὅτε ἄνευ ἡμῶν προσελάσαντες ἐκινδυνεύετε, πολὺν μὲν φόβον ἡμῖν παρείχετε, μή τι πάθητε, et quae sequuntur. VII. 3, 1. τοὺς δ' ἐκέλευσεν — διαλαχόντας τὰς ἁμάξας κομίζειν, ὅποι περ ἂν αὐτοὶ πορεύωνται. Et ibidem 7. εἶπε τούτῳ καὶ ἄλλα πρόβατα πολλὰ ἐλαύνειν, ὅπῃ ἂν αὐτὸν πυνθάνηται ὄντα, ὡς ἐπισφαγείη τῷ Ἀβραδάτᾳ. Ac Latinos quoque scriptores notum est, saepe ita tempora permutare. Igitur, si venia est lusus Ciceronis imitanti, hic est loci Aeschylei sensus.

Sed absque ratione omnia
faciebant, donec sidereos ortus ego,
conuersionumque aperui caecas vias.
quin etiam numerum, doctrinarum maxumam,
inueni, et formas litterarum nexiles,
memoriam rerum, musiparentem fabricam.
primusque saeua bestiarum saecula
iugo domaui atque opere clitellario,
vt cumulum demant hominibus grauissumum
laboris: ego freniferos in currum dedi
equos, superbum ditis luxuriae decus.

CAP. II.

Explicatur locus Promethei de Ius erroribus. Emendatur Pherenicus.

Temere fortasse multis facturi videbimur, qui in disceptationem et contentionem venire audeamus cum Io. Henr. Vossio, cuius et doctissima exstat et vberrima de Ius erroribus disputatio in epistolis mythologicis vol. II. ep. XVII. et XVIII. Hic vir non ignoramus quam bene de veteri geographia meritus sit: quin maximas ei gratias habemus, quod hanc partem antiquitatis, plurimis ante difficultatibus obscuratam, in tam clara luce collocauit. At enim vero, quemadmodum eum in interpretandis antiquorum scriptorum locis saepius audaciorem esse cognovimus, ita idem ei accidisse existimamus in ea parte Promethei, quae de Ius erroribus est. Cuius rei argumenta ita dicemus, vt, quo clarius nostra explicetur sententia, omne Ius iter, quemadmodum illud ab Aeschylo expositum est, ab initio vsque ad finem persequamur. Atque Io, Argis et Cenchrea profecta, (v. 681.) ad

Molossos Dodonamque (v. 835) peruenit, vnde per littora Adriatici sinus, qui Ionius olim vocabatur, (v. 843. seqq.) occidentem versus vagata, ad septemtrionem, sed simul orientem versus, in Scythiam iter conuertit. Id v. 844. declaratur,

ἀφ' οὗ παλιμπλάγκτοισι χειμάζῃ δρόμοις.

Ibi Prometheum inuenit, qui a ponto Euxino septemtrionem atque occidentem versus in rupe affixus fuerit necesse est. Hinc enim Prometheus eam propter Scythas Nomadas versus orientem procedere iubet, v. 713. seqq. ac deinde littus persequi ponti Euxini. Neque enim aliud mare intelligi potest in his v. 713.

ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας
χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα,

in cuius sinistro latere erant Chalybes, v. 720. Tum eam ad Hybristen fluuium peruenturam esse dicit, qui in Caucaso ortus in pontum Euxinum influat, v. 723. seqq. Eius fluuii nulla alibi mentio fit. In huius littore pergere eam iubet, donec, superato Caucaso, qui Aeschylo supra pontum Euxinum ad septemtrionem situs

est, meridiem versus ad Amazonas perueniat. Hae enim nondum Themiscyram incolebant, v. 730. sed Colchidem habitabant, v. 415. quam Aeschylus supra Chersonesum Tauricam ad Maeotidem paludem versus, septemtrionem sitam putabat. Inde per Isthmum Cimmericum, traiecto Bosporo Cimmerico, ex Europa in Asiam peruenturam praedicit, v. 735. seqq. Inde v. 796. sic pergit:

> ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον,
> πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς
> . . . .
> πόντου περῶσα φλοῖσβον, ἔς τ' ἂν ἐξίκῃ
> πρὸς Γοργόνεια πεδία Κισθήνης, ἵνα
> αἱ Φορκίδες ναίουσι, δηναιαὶ κόραι
> τρεῖς κυκνόμορφοι, κοινὸν ὄμμ' ἐκτημέναι,
> μονόδοντες, ἃς οὔθ' ἥλιος προσδέρκεται
> ἀκτῖσιν, οὔθ' ἡ νύκτερος μήνη ποτέ.

Ac deinceps Gorgonas v. 804. gryphos v. 809. Arimaspos v. 810. amnemque Plutonem v. 811. Aethiopas, fontes Solis, Nilum, eiusque cataractam in Byblinis montibus v. 814. seqq. ac denique Canopum v. 852. commemorat. In quo itinere describendo bene Vossius eos refuta-

vit, qui Arimaſpos et gryphos ab Aeſchylo in Africa collocatos putabant. Verum quam ipſe iſtius itineris deſcriptionem fecit, ea non minore nobis, quam caeterorum ratio, difficultate videtur laborare. Nam primum ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον, nec Tanaim, nec Bosporum Cimmericum, ſed veterem Phaſin eſſe putat, qui apud Aeſchylum, vt apud Homerum, Europam atque Aſiam diſcreuerit. Nec ſane dubitari poteſt, quin hac in re Aeſchylus cum Homero conſenſerit. Verum ex eo non conſequitur, eumdem hic quoque commemorari vtriusque terrae terminum. Nam qua in orientem patet Europa, plures ſunt eius termini, in quibus vt in orientali parte Phaſis eſt, ita magis occidentem verſus Bosporus eſt Cimmericus. Id ipſum clare indicant v. 735. ſeqq.

Ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σὲ χρὴ
λιποῦσαν, αὐλῶν' ἐκπερᾷν Μαιωτικόν.
ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
τῆς σῆς πορείας· Βόσπορος δ' ἐπώνυμος
κεκλήσεται· λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον
ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδα.

Nam traiiciendo quidem Bosporo Cimmerico in Aſiam peruenerat Io. Quare quo tandem pacto v. 796. vbi continuatur narratio Promethei,

ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον,

eodem perueniſſe dicetur traiiciendo Phaſi, quum iam eſſet in Aſia, neque ante in Europam rediiſſet? Immo quemadmodum ex ipſo locorum ſitu manifeſtum eſt, ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον, Phaſin eſſe non poſſe, ita haec verba de Bosporo Cimmerico intelligi debere etiam orationis nexus oſtendit. Nam quum rogatus eſſet Prometheus, vt reliquam partem errorum Ius exponeret, neceſſe erat, vt ab iis initium faceret, quae ſupra vltimo loco commemoraſſet. Quod ſi hic verſus,

ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον,

de Phaſi intelligendus eſſet, illa loca omiſiſſet omnia, quae a Bosporo Cimmerico ad Phaſin vsque adeunda puellae erant. Quae negligentia hóc magis reprehendenda eſſet, quo obſcuriorem totam deſcriptionem itineris redderet.

Deinde quum manifesta lacunae post v. 797. indicia reperiantur, ibi ea omnia excidisse putat Vossius p. 137. quae errores Ius per orientem Asiae continuerint. Itaque p. 144. verba *πόντου πεϱῶτα Φλοῖσβον* de Bosporo Thracio intelligit, vt Io, ante ex Europa in Asiam delata, nunc rursus ex Asia in Europam deueniat. In quo itinere quum omnino nimiae videntur ambages et quasi orbes viarum esse, tum vero etiam par hic ab Aeschylo et maior etiam admissa foret negligentia, quam supra in Phasi e Vossii ratione. Nam vt hic de Bosporo Thracio dixerit Aeschylus, qui factum est, vt inde nullum locum praeter Cynetum terram, quae in extremis Europae oris est, commemoraret? Nihilne in tanto terrarum tractu, quod memorabile esset, occurrebat? non Thracia? non Mysia? non itineris certe aliqua regula atque directio? Tum vero maximam illi ipsi Cynetae difficultatem mouent. Nam quod pro *Κισθήνης* legi vult *Κυνήτης*, primum omnium demonstrandum erat, primam huius vocabuli syllabam longam esse, de quo vehementer dubito. Deinde hi Cynetes circa fontem Istri habitabant, teste Herodoto, qui lib. II. c. 33. ita scribit: *Ἴστϱος τε γὰϱ ποταμός, ἀϱξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυϱήνης πόλιος, ῥέει μέσην*

σχίζων τὴν Εὐρώπην. οἱ δὲ Κελτοί εἰσι ἔξω Ἡρακληΐων στηλέων· ὁμουρέουσι δὲ Κυνησίοισι, οἳ ἔσχατοι πρὸς δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων. Idemque lib. IV. c. 49. ῥέει γὰρ δὴ διὰ πάσης τῆς Εὐρώπης ὁ Ἴστρος, ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν, οἳ ἔσχατοι πρὸς ἡλίου δυσμέων μετὰ Κύνητας οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ. Circa haec quidem loca etiam Gorgones et Graeae collocantur ab Hefiodo Theog. 274. qui fic dicit,

> αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο
> ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι.

vide Voffium p. 148. Ita etiam Plinius VI. 36. Mela III. 9. Eamdem rationem fequi videtur Pindarus, qui quum Olymp. III. 24. feqq. Hyperboreos ad Iftri fontes collocet, iftuc Perfeum veniffe, vt Gorgonem occideret, narrat Pyth. X. 49. feqq. Fuiffe tamen, qui Hefperidas, quibus vicinae ab Hefiodo dicuntur Phorcides, in ipfum feptemtrionem transferrent, clarum eft ex Apollodori enarratione laborum Herculis. Is enim II. 5. p. 136. primo de pomis Hefperidum fic dicit: ταῦτα δὲ ἦν, οὐχ, ὥς τινες εἶπον, ἐν Λιβύῃ, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ Ἄτλαντος ἐν Ὑπερβορέοις. Deinde p. 139. καὶ διὰ τῆς Λιβύης πο-

ρευθεὶς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, καταπλεῖ, οὗ τὸ δέπας καταλαμβάνει. καὶ περαιωθεὶς ἐπὶ τὴν ἤπειρον τὴν ἀντικρύ, κατετόξευσεν ἐπὶ τοῦ Καυκάσου τὸν ἐσθίοντα τὸ τοῦ Προμηθέως ἧπαρ αἰετόν, ὄντα Ἐχίδνης καὶ Τυφῶνος· καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε. His mox addit: ὡς δὲ ἧκεν εἰς Ὑπερβορέους πρὸς Ἄτλαντα, ὑποθέντος Προμηθέως τῷ Ἡρακλεῖ αὐτὸν ἐπὶ τὰ μῆλα μὴ πορεύεσθαι, διαδεξάμενον δὲ Ἄτλαντος τὸν πόλον, ἀποστέλλειν ἐκεῖνον, πεισθεὶς διεδέξατο. Ἄτλας δὲ, δρεψάμενος παρ' Ἑσπερίδων τρία μῆλα, ἧκε πρὸς Ἡρακλέα. Ibi igitur etiam Phorcides ex Aeſchyli opinione videntur habitaſſe. Nec mirum, quum omnis regio, quae a ſeptemtrione ad occaſum porrigitur, vehementer coanguſtata ab antiquis fuerit. Hanc autem ſedem Aeſchyli Phorcidibus non ſolum illa aſſignant,

> ἃς οὔθ' ἥλιος προσδέρκεται
> ἀκτῖσιν, οὔθ' ἡ νύκτερος μήνη ποτέ,

ſed totius etiam itineris ratio atque deſcriptio videtur firmare. Nam quod Voſſius p. 148. dicit, priusquam ad Gorgones perueniat Io, adeundos ei eſſe gryphos, Arimaſpos, Plutonem amnem, id vt per locorum ſitum, ſiquidem

Aeſchylus Gorgonas ad occidentem poſuit, recte fiat, tamen quomodo hunc ordinem locorum e verbis Aeſchyli eruerit, non poteſt intelligi. Quis enim ſibi perſuadeat, adeo praepoſteram ab Aeſchylo narrationem confictam eſſe, vt Io, niſi perita iam regionum, incerta animi redderetur, qui propiores, qui remotiores habitarent; quo accedendum, quo non accedendum eſſet?

Quae quum ita ſint longe aliter videtur iter Ius deſcribendum eſſe. Quodſi ῥεῖθρον. ἠπείρων ὅρος, v. 796. vt ſupra oſtendimus, Bosporus Cimmericus eſt, facile coniecturam facere licebit, quod mare ſignificetur his verbis, v. 798. πόντου περῶσα φλοῖσβον. Nam quum v. 797. orientem verſus proficiſci iubeatur Io,

πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς,

occurrit planiſſime mare Caſpium. Hoc autem traiecto in ſeptemtrionem ad Phorcidas pergere debebit, ſicut Hercules apud Apollodorum a Caucaſo ad Heſperidas in ſeptemtrionem proficiſcitur. Hic vero Γοργόνεια πέδια Κισθήνης difficultatem obiiciunt. Ac non eſt dubium, quin nomen Κισθήνης corruptum ſit, quo nomine

duae vrbes inueniuntur, vtraque in Afia minore, altera Myfiae, altera Ciliciae. Libri praeterea Σκυθίνης, Κισθίνης, Κινθήνης exhibent. Nec tuto quidquam in his tenebris coniicere licet. Commemoratur quidem circa haec loca non abfimili nomine gens, Ciffianthi a Plinio VI. 14. quos quidam apud Melam quoque I. 2. recte videntur reponere. Fuerunt etiam prope Maeotidem paludem Sindi, quorum regio Sindica dicta. Strabo XI. p. 753. πρὸς δὲ τῇ θαλάττῃ τοῦ Βοσπόρου κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐστὶ καὶ ἡ Σινδική. et p. 757. τῶν Μαιωτῶν δ' εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σίνδοι καὶ Δανδάριοι, et quae fequuntur, vt fortaffe fcripferit Aefchylus,

πρὸς Γοργόνεια πέδια Σινδίκης,

fi quidem hanc quoque regionem, vt Colchidem atque alias, e fuo loco longius fubmouit. Sed horum omnium nihil pro certo affirmauerim. Quidquid hoc nominis eft, fumptum illud fortaffe eft, vt Schützius obfervat, ex Arifteae Proconnefii Arimafpeis. Illud tantummodo tenebimus, quod fupra dixi, Phorcidas ab Aefchylo ad feptemtrionem collocari.

Hinc autem iter progreditur ad gryphos et Arimafpos. Hi ab feptemtrione in occidentem

vsque protenduntur. Strabo p. 774. ἅπαντας μὲν δὴ τοὺς προσβοῤῥους κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας καὶ Κελτοσκύθας ἐκάλουν. οἱ δ' ἔτι πρότερω διελόντες τοὺς μὲν ὑπὲρ τοῦ Εὐξείνου καὶ Ἴστρου καὶ Ἀδρίου κατοικοῦντας Ὑπερβορέους ἔλεγον, καὶ Σαυρομάτας, καὶ Ἀριμασπούς. Vide Herodotum IV. 13. 27. Dionyſ. Perieg. 31. Pauſan. I. 24. Melam II. 1. Plin. VII. 2. Lucan. III. 280. VII. 756. Spanhem. ad Callim. hymn. in Delum, v. 291. maximeque Voſſium, qui quos ſcriptores commemoravit, iis addendus eſt Pherenicus apud ſcholiaſten Pindari ad Olymp. III. 28. cuius verſus ita corrigendi videntur:

ἀμφὶ δ' Ὑπερβορέων, οἵ τ' ἔσχατα ναιετάουσι,
νήῳ ὑπ' Ἀπόλλωνος, ἀπείρητοι πολέμοιο.
τοὺς μὲν ἄρα προτέρων ἐξ αἵματος ὑμνείουσι
Τιτήνων βλαστόντας ὑπὸ δρόμον αἰθρήεντα
νάσσασθαι Βορέαο μέγαν Ἀριμασπὸν ἄνακτα.

Deinde etiam Plautus Aul. IV. 8. 1.

pici, diuitiis qui aureos monteis colunt,
ego ſolus ſupero.

Pici enim dicebantur, qui Graecis γϱῦπες ſunt. vide Nonium p. 152. Turneb. Adu. XXIII. 26. XXIV. 23.

Ita Io per gryphos et Arimaſpos a ſeptemtrione in occidentem delata ad Aethiopas et Nilum peruenit. Quae nobis quidem facillima videtur huius itineris explicandi ratio.

CAP. III.

Defensa librorum lectio in Prometheo. Φθόνον ἕχειν. *Alius eiusdem fabulae locus emendatur.*

In eadem fabula inde a v. 859. de Danai filiabus ita vaticinatur Prometheus:

πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντόπαις
πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται,
θηλύσπορος, φεύγουσα συγγενῆ γάμον
ἀνεψιῶν· οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας,
κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι,
ἥξουσι θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους
γάμους· φθόνον δὲ σωμάτων ἕξει θεός,
Πελασγία δὲ δέξεται, θηλυκτόνῳ
ἄρει δαμέντων, νυκτιφρουρήτῳ θράσει.

In quibus quum postrema non viderentur intelligi posse, Brunkius ita correxit:

φθόνον δὲ σώμαθ' ὧν ἕξει θεὸς
Πελασγία δεδέξεται θηλυκτόνῳ
ἄρει δαμέντων, νυκτιφρουρήτῳ θράσει,

vt verba ſic iungerentur, Πελασγία δὲ δεδέξεται σώματα, ὧν θεὸς φθόνον ἕξει δαμέντων. Eamque mutationem recepit Schützius. Verum haec tam contorta eſt et complicata conſtructionis ratio, ea vt nobis quidem non ſolum obſcuriſſima, ſed etiam plane falſa eſſe videatur. Praeterea de hoc loco etiam disputarunt Heynius ad Apollodorum p. 275. et Siebelis in diatriba de Aeſchyli Perſis p. 118. E quibus Heynius aut σώματα de puellis, quarum fructum deus maritis inuideat, dici, et deinde δαμέντας legendum putat, aut procorum corpora fato ſubducenda ſignificari cenſet. Siebelis autem hunc locum ſic vertit: *Aegypti filii Danaidum venabuntur nuptias, ſed illarum ipſis deus inuidebit corpora (non committet, vt iis potiantur) ipſorum vero (Aegypti filiorum) a feminis caeſorum corpora terra teget Pelaſgica.* Ego quidem, non mutata librorum lectione, aliam mihi videor eamque percommodam interpretationem reperiſſe. Nam φθόνος, vt apud Latinos *inuidia*, contemptionem opprobrio iunctam ſignificat, vt in Hecuba Euripidis v. 287.

> ἐλθὼν δ' εἰς Ἀχαϊκὸν στρατόν,
> παρηγόρησον, ὡς ἀποκτείνειν φθόνος
> γυναῖκας.

Ἔχειν autem φθόνον id eſt, quod Latinis *facere inuidiam.* Pindarus Iſthm. IV. 53.

> ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν
> φοίνιον, τὰν ὀψίᾳ
> ἐν νυκτὶ ταμὼν περὶ ᾧ
> φασγάνῳ, μομφὰν ἔχει παι-
> δεσσιν Ἑλλάνων, ὅσοι Τροίανδ᾽ ἔβαν.

Itaque hic erit loci Aeſchylei ſenſus: faciet deus inuidiam filiabus Danai propter caeſa ſponſorum corpora, eaque inuidia Pelaſga terra laborabit. Hinc apud Horatium II. Carm. 14. *Danai genus infame.* Δεδέξεται Πελασγία autem vt apud Euripidem Herc. fur. 1016.

> ὁ φόνος ἦν, ὃν Ἀργολὶς ἔχει πέτρα,
> τότε μὲν περισαμότατος καὶ ἄπιστος
> Ἑλλάδι, τῶν τοῦ Δαναοῦ παιδῶν.

Reſtat denique alius in Prometheo locus, qui emendatione videtur indigere. Nam quum Prometheus, nihil Iouis minis perterritus, quosuis cruciatus ſe perpeſſurum oſtendiſſet, Mercurius eam manifeſtam eſſe inſaniam his verbis dicit v. 1062.

τοιάδε μέντοι τῶν φρενοπλήκτων
βουλεύματ' ἔπη τ' ἐστὶν ἀκοῦσαι.
τί γὰρ ἐλλείπει μὴ παραπαίειν;
εἰ δὲ τάδ' ἀτυχεῖ, τί χαλᾷ μανιῶν.

Quam lectionem, a Brunkio inuentam, Schützius recepit. Nam in libris legitur εἰ τάδ' εὐτυχεῖ, vel, εἰ τάδ' εὐτυχῆ, vel εἰ δ' εὐτυχῆ. Εἰ autem Brunkius pro ἐπεὶ dictum putat, vt haec ſit horum verborum ſententia: et quum ita infortunatus ſit, quid remittit de inſania? Quae equidem tantum abeſt vt dicta a Mercurio eſſe putem, vt ne potuiſſe quidem dici contendam. Primum enim mirum foret, ſi in hoc loco, in quo, omnium animis creſcente rei atrocitate commotis, nihil tenue et languidum admiſceri debebat, tam exilem ſententiam omnique vi et neruo carentem adhibuiſſet. Nam quid tandem erat, quod haec non, vt caetera, grauiter, plene, ornate enunciaret, ſed ratiocinationis quadam formula, eaque ſatis inepta, comprehenderet? Nihil ſane attinebat, haec, quae ſponte quisque intellecturus erat, adiicere, εἰ δὲ τάδ' ἀτυχεῖ, praeſertim tam exilibus expreſſa verbis, omnique deſtituta ornatu. Deinde vero ne potuit quidem haec dicere. Nam quae

tandem haec argumentationis concludendae ratio eſt, qua id, quo quid probandum eſt, non tamquam efficientiae aliquo nexu coniunctum cum eo, quod probandum eſt, affertur, ſed vt plane diuerſum quiddam et nihil commune cum illo habens adiicitur? Atqui id factum volunt ab Aeſchylo. Nam quum docere deberet Mercurius, inſanae mentis eſſe Prometheum; nam quum tantis malis premeretur, nihil tamen de ferocia ſua remittere: nunc eum ſic loquentem inducunt: inſanum eſſe; ſi vero tanta calamitate vrgeretur, quid eum remittere de inſania? Haec quidem nemo erit, qui nobis pro Aeſchyleis obtrudat. Quare alia ratione huic loco vim ſuam atque elegantiam reddere ſtudebimus. Etenim videat mihi aliquis, quam praeclare omnis procedat oratio, leniſſima in poſtremo verſu mutatione facta:

> τοιάδε μέντοι τῶν φρενοπλήκτων
> βουλεύματ' ἔπη τ' ἐστὶν ἀκοῦσαι.
> τί γὰρ ἐλλείπει μὴ παραπαίειν;
> τί τάδ' ἠτύχθη; τί χαλᾷ μανιῶν;

Talia quidem, inquit, conſilia, tales ſermones inſanorum ſunt: quid enim huic deeſt ad inſa-

niam? quid his perterritus eſt? quid remittit de furore ſuo? Τάδε enim pertinet ad mala, quae ipſe Prometheus ſibi euentura modo dixerat, quibusque nihilominus obſiſtendum decreverat. Ἠτύχϑη autem, vt Homerus VI. Iliad. 467.

ἂψ δ' ὁ πάϊς πρὸς κόλπον ἐϋζώνοιο τιϑήνης
ἐκλίνϑη ἰάχων, πατρὸς φίλου ὄψιν ἀτυχϑείς.

CAP. IV.

Coniecturae quaedam in Aeſchyli Septem contra Thebas.

Aeſchyli tragoedia, quae Septem contra Thebas inſcripta eſt, tot tantisque ſplendet virtutibus, vt merito Ariſtophanes, homo acutiſſimi iudicii, in Ranis v. 1021. Aeſchylum ita dicentem introduxerit:

τοὺς Ἕπτ' ἐπὶ Θήβας
ὁ θεασάμενος πᾶς ἂν τις ἀνὴρ ἠράσθη δάϊος εἶναι.

Nam ſiue delectum et artificium in actione, ſiue grauitatem in moribus, ſiue ſublimitatem et vehementiam in ſenſibus, ſiue magnificentiam in deſcriptionibus, ſiue in dictione denique copiam atque ornatum requiras, nihil eſt harum rerum omnium, quo haec fabula non eximie ſit atque admirabiliter inſtructa. Quo magis dolendum eſt, plurimos ex iis ipſis locis, qui maxime ſunt ad animos commouendos facti, foediſſimis ſcripturae vitiis contaminatos eſſe. In quibus quum nonnulli ſint, quibus vim

ſuam et veterem nitorem reſtituere poſſe mihi videar, de iis hic, quid ſentiam, explicabo.

Ac v. 218. haec leguntur:

ΕΤΕΟΚΛΗΣ

πύργων στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ;

ΧΟΡΟΣ

οὔκουν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν;

ΕΤΕΟΚΛΗΣ

ἀλλ' οὖν θεοὺς

τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

In quibus nemo non videt, τοὺς corruptum eſſe. Nam ἐκλείπειν ſic ſimpliciter dictum longe aliud quiddam, quam quod hic requiritur, ſignificat. Ac Schützius, deſerta ratione ſcholiaſtae, τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος θεοὺς iungentis, legendum eſſe coniecit,

ἀλλ' οὖν θεοὺς

αὐτοὺς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος,

hac ſententia, atqui ipſos deos dicunt captá vrbe excedere. At vero et hoc αὐτοὺς vim ſententiae magis infringere, quam augere, videtur, et hic vſus verbi ἐκλείπειν cum genitiuo

coniuncti, quod accuſatiuum ſibi poſtulat, demonſtrari debebat. Equidem non dubito, quin illud τοὺς e ſequenti vocabulo τῆς ortum ſit. Quare ita ſcribendum puto:

ἀλλ᾽ οὖν θεοὺς
τὰ τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

Quae emendatio ex eo genere eſt, in quo ſimilium exemplorum commemoratio et inutilis et inepta foret.

Aliam non minus certam emendationem iam prolaturi ſumus in iis, quae leguntur v. 314.

πρὸς τάδ᾽; ὦ πολιοῦχοι
θεοὶ, τοῖσι μὲν ἔξω
πύργων ἀνδρολέτειραν
καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν
ἐμβαλόντες, ἄροισθε
κῦδος.

Vbi quid tandem hoc eſt, ἀνδρολέτειραν καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν? Quo quid potuit non modo ad vim poeticam languidius, verum etiam ad ſententiam et grammaticam rationem falſius

dici? Non eſt dubium, quin ita ſcripſerit Aeſchylus:

> πρὸς τάδ' ὦ πολιοῦχοι,
> θεοί, τοῖσι μὲν ἔξω
> πύργων ἀνδρολέτειραν
> ἄταν, ῥίψοπλον ἄταν
> ἐμβαλόντες, ἄροισθε
> κῦδος.

Euripides in Hercule furente v. 917.

> παισὶ στενακτὰν ἄταν, ἄταν
> πατέρος ἀμφαίνεις;

de quo loco cap. XI. dicetur.

Porro v. 371. ſemichorus ita dicit:

> ὅ τοι κατόπτης, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, στρατοῦ
> πευθώ τιν' ἡμῖν, ὦ φίλαι, νέαν φέρει,
> σπουδῇ διώκων πομπίμους χνοὰς ποδῶν.

Cui alter ſemichorus haec reſpondet:

> καὶ μὴν ἄναξ ὅδ' αὐτός, Οἰδίπου τόκος,
> εἰς' ἀρτίκολλον ἀγγέλου λόγον μαθεῖν·
> σπουδὴ δὲ καὶ τοῦδ' οὐκ ἀπαρτίζει πόδα.

Quorum verſuum vltimus nihil poteſt aliud continere, quam etiam Eteoclem feſtinanter accedere. At, ſi quis in eo verſu ſenſus ineſt, is plane contrarius eſt. Quare Schützius, οὐκ in οὖν mutandum cenſuit: qua quidem mutatione difficultas, quae in verbo ἀπαρτίζει ineſt, non videtur ſublata eſſe. Quantumuis enim audaces Aeſchylus metaphoras adhibere ſoleat, hoc tamen, ἀπαρτίζειν πόδα, tam non modo obſcurum, ſed etiam ambiguum eſt, vt facilius alia quaeuis, quam accelerare pedem ſignificare poſſit. Melioris lectionis veſtigia habet liber Guelferbytanus, in quo eſt,

σπουδὴ δὲ καὶ τοῦδ' οὐ καταρτίζει πόδα.

Neque enim dubito, quin ex hac lectione prope nulla mutatione facta verum et genuinum verbum Aeſchylo reſtitui queat. Ita enim legendum eſt:

σπουδὴ δὲ καὶ τοῦδ' οὐ καταργίζει πόδα.

Cupiditas, inquit, ne huius quidem pedem retardari patitur. At hoc nimirum audax facinus eſt, nouum vocabulum, et quod alibi nusquam occurrat, Aeſchylo obtrudere. De eo

vero folliciti fint ifti, quibus vna falus grammaticorum libri funt. Quid eft enim, quare, quum ad analogiae auctoritatem fumma lectionis probabilitas accedit, damnanda cenfeamus vocabula, quibus nihil nifi aut alter locus, in quo reperiantur, aut teftimonium grammatici alicuius defit? Ac καταρyέω quidem notiffimum vocabulum eft, pro quo nos Aefchylum καταργίζω, vfitatiffima forma, dixiffe exiftimamus.

V. 393. feqq. locus legitur elegantiffimus, qui quum leuiter corruptus effet, vereor ne criticorum opera nihil lucratus fit. Verba, quibus Tydeum morae impatientem nuncius defcribit, haec funt:

τοιαῦτ' ἀλύων ταῖς ὑπερκόμποις σαγαῖς
βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν·
ἵππος χαλινῶν δ' ὡς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων.

Quae quum ita correxiffet Brunkius, vt maiore diftinctione poft vocabulum ποταμίαις pofita, reliqua e cod. Reg. A. fic fcriberet,

μάχης δ' ἐρῶν
ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων, μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων,

Schützius, in hac lectione non acquiescendum ratus, verbum *μένει* corruptum putat. Mihi quidem nihil in hoc loco difficultatis esse videtur, si modo istud *δὲ*, quod tam incertae sedis est, deleatur. Tum vero ita interpungendum est:

τοιαῦτ' ἀλύων ταῖς ὑπερκόμποις σαγαῖς
βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν,
ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων.

Μένει enim non a *μένω*, sed a *μένος* ductum est, idque cum *χαλινῶν* coniungi debet. Pugnae, inquit, cupidus Tydeus est, sicut equus, qui quum classicum exspectat, frenorum vi cohibitus, anhelat. Ita Nemesianus in Cynegetico v. 255. si in tali re scriptorum testimonio opus est,

nec non terribiles spirabile numen anheli
prouoluunt flatus, et lumina viuida torquent,
hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.

Sed quis eſt, qui neſciat, acres equos, quo maiore vi retineantur, eo magis anhelare?

In chori carmine, quod v. 523. ſeqq. legitur, retractanda eſt mutatio, quam libro II. de metris p. 254. propoſui. Non videram enim, locum vnius vocabuli ſede mutata emendandum eſſe. Quod hoc minus praetereundum duxi, quia, quum omne criticae artis negotium in erroribus inueſtigandis verſetur, id ſummum eſt eius, qui in hoc genere laborat, officium, vt ante omnia ſuos ipſius errores corrigat. Atque iſte quidem locus ſic ſcribendus eſt:

> πέποιθα δὴ τὸν ἀντίτυπον Διὸς
> ἔχοντ' ἄφιλον ἐν σάκει τοῦ χθονίου δέμας
> δαίμονος,

et quae ſequuntur. Quorum verſuum prior aſynartetus e duobus dochmiacis eſt, a quo alter eo tantum differt, quod in eo dochmiacos vnus iambus praecedit. Hinc in ſtrophico, qui eſt verſus 484. patet, ἰώ, quod eieceram, retinendum eſſe. Vocabulum δὴ poſt πέποιθα e Robortelli editione adieci.

Alius locus male ab librariis habitus legitur v. 578. vbi nuncius ita ad Eteoclem de Amphiarao:

> καὶ τὸν σὸν αὖθις πρόςμορον ἀδελφεὸν
> ἐξυπτιάζων ὄνομα, Πολυνείκους βίαν,
> δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος
> καλεῖ, λέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα.

In quo nec Brunkio, ὁμόσπορον κακοῤῥοθῶν reponenti, asſentior, nec Schützii ſententiae accedere poſſum, qui πρόςμορον ἐς ἀδελφεὸν, et pro δίς τ' ἐν τελευτῇ aut δύστηνον αὐτῷ, aut δυςεντέλευτον ſcribendum exiſtimat. Illud autem veriſſime vidit Schützius, pro ὄνομα reſtituendum eſſe ὄμμα. Nec minus Brunkii ὁμόσπορον verum arbitror, quod et lectio codd. regg. πρόσπορον, et interpretatio, τὸν ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπόρου, ἐκ τῆς αὐτῆς σπορᾶς γεννηθέντα, confirmat. Hinc non dubito, quin locus leuiſſima mutatione facta ita ſcribendus ſit:

> καὶ τὸν σὸν αὖθις εἰς ὁμόσπορον κάτιν
> ἐξυπτιάζων ὄμμα, Πολυνείκους βίαν,
> δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος,
> καλεῖ, λέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα.

Ἀδελφεόν, interpretatio verbi rarioris, κάσιν, metro aptata, in textum irrepſit. Euripides Hecuba 428.

ὅ τ' ἐν Φιλίπποις Θρᾳξὶ Πολύδωρος κάσις.

Medea, v. 167.

τὸν ἐμὸν κτείνασα κάσιν.

et v. 1334.

κτανοῦσα γὰρ δὴ σὸν κάσιν παρέστιον
τὸ καλλίπρωρον εἰσέβης Ἀργοῦς σκάφος.

In hoc autem,

δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος,

etſi non dubito, quin recte Schützius vocabulo ἐνδατούμενος exprobrantem ſignificari exiſtimet, tamen nec δὶς languere, neque ἐν τελευτῇ obſcurum eſſe puto. Hoc enim dicit, Amphiaraum, poſtquam ſatis diu ſubducto ſupercilio Polynicen adſpectaſſet, tandem dupliciter ei nomen exprobraſſe, qui ſcilicet non lites modo, ſed multas etiam et magnas lites concitauiſſet. Quae interpretatio non vereor ne improbetur ab iis, qui meminerint, quam curioſe plerumque tragici poetae in nominum deriuationibus elaborauerint.

CAP. V.

Animaduerſiones in Aeſchyli Choephoros a principio vsque ad v. 160. Emendatur Euripides in Alceſtide. Mars Scythicus.

Quoties olim in tribus poſtremis Aeſchyli tragoediis aliquid emendare conabar, toties et multitudine et magnitudine vitiorum ita deterritus ſum, vt tandem hoc omne negotium vsque eo differendum putarem, donec hae quoque tragoediae Schützii praeclaram curam expertae eſſent. Qui quum tandem ſummo omnium litteratorum deſiderio ſatisfeciſſet, librum, ſimulatque ad me perlatus eſſet, non inſpicere, ſed maxima diligentia legere coepi. Ac quo plures eſſe locos animaduertebam, in quibus veram lectionem Schützius et admirabili ſagacitate eruiſſet, et inſigni doctrina demonſtraſſet, eo maiore ipſe ſtudio incendebar, vt, quae mihi dubitationes relictae eſſent, eas amplius perſequerer, nec prius acquieſcerem, quam penitus explicatae atque remotae viderentur. Has adnotationes quum per verſus amplius quingentos

Choephororum deduxissem, superuenit censura libri Schützíani in ephemeridibus Ienensibus fol. 221. et 222. in qua vt plurima reperi, quae aut probare non dubitarem, aut ipse iam animaduertissem, ita nonnulla etiam inueni, a quibus dissentiendum mihi esset. Ea suis quaeque locis commemorabo. Accepimus autem huius censurae auctorem Eichstadium, cuius iucundissimam consuetudinem ereptam nobis esse aegerrime patimur.

Ac primum in his, v. 12.

ἢ πατρὶ τῷ 'μῷ τάσδ' ἐπεικάσας τύχω
χοὰς φερούσας νερτέροις μειλίγμασιν,

tam docta est atque elegans lectio, quam Schützius e Stanleii coniectura reposuit, *μειλίγματα*, vt, si ita in libris repertum esset, nemini quidquam dubitationis in mentem venire posset. Eichstadius vero librorum omnium lectionem retinendam, atque ita explicandam putat, vt *νερτέροις* substantiui loco sit, et libationes afferri dicantur, quae piaculo sint diis manibus. In quo equidem viro doctissimo assentire non possum, qui hanc rationem et satis asperam, nec minus obscuram esse arbitrer. Neque tamen

dubito, quin Aeſchylus ſcripſerit νερτέροις μειλίγμασιν, ſed ita, vt νερτέροις adiectiuum ſit, quod cum μειλίγμασιν coniungendum eſt. Νέρτερα enim μειλίγματα ſunt piacula, quae diis manibus afferuntur: quod ſimilis in eadem re loquendi ratio oſtendit, χθόνια λουτρά. Heſychius: χθόνια λουτρά, τὰ τοῖς νεκροῖς ἐπιφερόμενα. ἐκόμιζον γὰρ ἐπὶ τοὺς τάφους λουτρά. Eodem modo apud Romanos inferiae dicta.

Deinde v. 40. legebatur olim,

τοιάνδε χάριν ἄχαριν
ἀπότροπον κακῶν
μωμένα μ' ἰάλλει
δύςθεος γυνά.

In quibus Schützio τοιῶνδε legenti asſenſit cenſor. Ac fateor me haud parum dubitaſſe, an recte id fecerit. Comparet mihi tamen aliquis verſus antiſtrophicos,

σέβας δ' ἄμαχον ἀδάμαν-
τον ἀπόλεμον τοπρίν,

qui vt congruant cum ſtrophicis, at certe non ſatis eleganter congruunt. Nam et vocabulum ἀδάμαντον inuenuſte in duos verſus diſtrahitur,

et illa, ἀπόλεμον τοπρίν, tam elegantem efficiunt dochmiacum, vt vix dubium ſit, quin iis haec, ἀπότροπον κακῶν, reſpondeant, ſecunda ſyllaba correpta, quae minus bene producitur. Inde facilis coniectura, primum antiſtrophae verſum talem fuiſſe,

σέβας δ' ἄμαχον ἀδάματον.

Ad cuius menſuram quum ſtrophico ſyllaba deſit, eam, ſeruata librorum lectione τοιάνδε, ita commode reſtituemus:

τοιάνδ' ἐπὶ χάριν ἄχαριν
ἀπότροπον κακῶν,
ἰὼ γαῖα, γαῖα,
μωμένα μ' ἰάλλει
δύσθεος γυνά.

Hanc, inquiunt puellae, ad ingratam gratiam diis manibus offerendam arceſſitas nos miſit impia mulier. Nam quum antea narratum eſſet, manes Agamemnonis ab ſomniorum interpretibus iratos perhiberi, τοιάνδ' ἐπὶ χάριν, more Aeſchyli, breuius et concitatius dictum eſt pro eo, quod dici debebat, *huius irae piacula.* Quae ſequuntur, ſic ſcribenda ſunt,

φοβοῦμαι δ' ἔπος τόδ' ἐκβάλλειν.
τί γὰρ λυτρὸν πεσόντος αἵματος πέδῳ.

Verſuum quidem hanc diſpoſitionem vel circuitus verborum in eodem ſtrophae atque antiſtrophae loco finitus tuetur. Nec λυτρὸν metro repugnat, quod primam non magis longam habet, quam alia ſimiliter formata vocabula.

In v. 47. vocabulum πανοιζὺς ſcribendum ſine punctis diaereſeos. Triſyllabum enim eſt, vtraque vocali in diphthongum coniuncta, vt quum alibi ſaepius, tum in notiſſima formula ὤζυρέ. Vide Ariſtoph. Lyſiſtr. 948. Nub. 655. Aues 1641. Veſp. 1504. 1514. Similiter οἰστὸς biſyllabum apud Euripidem Med. 635. Androm. 1134. Herc. Fur. 196. Certe triſyllaba pronunciatio verbi πανοιζὺς elegantior hic eſt, quam quadriſyllaba, quae per metrum quidem ferri poſſet, ſiquidem hic verſus cum iis, qui ſequuntur, antiſpaſticos numeros habere videtur, pariter ac v. 20.

ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβην,

in cuius antiſtrophico, qui eſt 30. non erat neceſſe, vt ordo verborum, quem libri habent,

τρεῖς γὰρ φόβος ὀρθόθριξ,

ad Heathii ſententiam mutaretur. Heathius enim, ſi quisquam alius, immerito hanc auctoritatem conſequutus eſt, vt metrorum peritus haberetur, quorum ille iuxta cum ignariſſimis ignarus eſt.

Ea, quae inde a v. 59. leguntur, deleta interpretum adnotatione, ἄχη, ita ſcribenda conieceram:

ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκας
ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει,
τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου
μένει χρονίζοντα βρύει,
τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ.

Quod idem in mentem veniſſe video Eichſtadio, ſed ita, vt is eam lectionem propterea reiicere videatur, quod quum antea τοὺς μὲν, et deinde τοὺς δὲ poeta dixerit, in medio quoque membro perſona potius, cui mala dentur, quam mala, quae dentur, commemoranda fuerint. In quo illi non aſſentior. Tantum enim abeſt, vt hanc orationis inuerſionem reprehendendam putem,

ea vt laudem potius Aeſchylo parere videatur. Hic, vt ſolent animo vehementer commoti, quod ad dictionem attinet, logicam membrorum inter ſe comparationem ſusque deque habuit, dummodo rem ipſam apte et grauiter eloqueretur. Solam enim hic oppoſitionem lucis, crepuſculi, et noctis ſpectauit, quae dum ſalua maneret, ſubiectum, quod vocant logici, in quoque membro mutari poſſe cenſuit. Eoque mutando magna vis et virtus huic loco addita eſt. Continuo enim augetur animi perturbatio, quum initio cauſſam tantum aduerſae fortunae, vindictam, nominat; deinde, vnice in calamitatis impiorum cogitatione defixus, mala ipſa in locum vindictae ſubſtituit; denique vero, magis etiam commotus, non iam mala ſimpliciter, ſed eorum loco grandem atque immenſam aeternae noctis imaginem profert. Quae eo maiorem vim habet, quod, quum in prioribus membris poenam impiorum a tempore, quo ea afficiantur, ſeiunxerit, poſtremo omnia in vnam infinitam horrendamque imaginem confuſa animis ſpectatorum proponit. Hinc recte ſe habere ἄκραντος intelligitur, quod praeclare etiam Eichſtadius obſeruauit. Is vero aliam quoque attulit coniecturam, quae magis

ei placet, quam haec, de qua diximus. Scribendum enim coniicit, τᾶδ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου χρονίζουσα βρύει, vt ῥοπὴ δίκας dicatur βρύειν Clytaemneſtrae. Cui equidem ſententiae nullo pacto accedere poſſum. Primum enim non hoc dicit chorus, nec nimis mature, nec nimis tarde Clytaemneſtram puniri, ſed citius ſerius punitum iri. Deinde ſumma huius loci vis in eo poſita eſt, quod incertum eſſe dicitur, quo quis tempore poenas ſubiturus ſit. Quod quo minus definitum eſt, eo ampliore quaſi in ſpatio cogitationes animi circumagitantur, vt confuſae in tanta immenſitate, quum locum, in quo acquieſcant, non inueniunt, ſublimitatis ſenſu animum impleant. Id plane fieri non poteſt, quum res ad certam perſonam, certumque tempus revocatur. Denique ſi Clytaemneſtra nominatim hic commemoranda erat, certe magnum illud quiddam et graue eſſe debebat, quo ab aliis diſtingueretur, vt ſi dixiſſet, τάνδ' ἄκραντος ἔχει νύξ. Quod ſi id ipſum voluiſſet, nec mature nec tarde Clytaemneſtram puniri, quis non videt, rem plane aliter exponendam fuiſſe? Nec ſane illa coniectura opus erat, quum aliae in promptu eſſent, quas commemorandas duco, ne, ſi quis in noſtra lectione non acquieſcendum puta-

verit, illis rationibus aliquid tribuat. Legi enim poſſet τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει χρονίζουσα βρύει, vt τὰ *nunc* ſignificaret, vt ſaepius apud Pindarum. Sed praeter audaciorem mutationem, ne in hac quidem lectione tanta videtur vis ineſſe, quanta in illa eſt, quam nos probamus. Deinde etiam, quod vnus e ſcholiaſtis habuit, reponi poſſet, τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει, χρονίζοντα βρύει, vt τὰ pro ἃ, et μένει verbum eſſet, hoc ſenſu: quae in crepuſculo ſeſe continent mala, retardata augeſcunt. Verum in hac quoque non magna vis eſt, praeſertim quum etiam μένει idem ſit, quod χρονίζοντα.

De reliqua huius cantici parte dixi in diſſertatione de metris Pindari.

V. 90. haec ſatis inconcinna leguntur:

ἢ τοῦτο φάσκω τοὔπος, ὡς νόμος βροτοῖς
ἐστ', ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε·
στέφη, δόσιν τε τῶν κακῶν ἐπαξίαν;

Scribe vna littera mutata:

ἢ τοῦτο φάσκω τοὔπος, ὡς νόμος βροτοῖς
ἐστ', ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε
στέφη δόσιν γε τῶν κακῶν ἐπαξίαν;

Nec minor inconcinnitas ineſt in v. 126. ſeqq.

κἀγὼ χέουσα τάσδε χέρνιβας βροτοῖς
λέγω, καλοῦσα πατέρ', ἐποίκτειρόν τ' ἐμέ,
φίλον τ' Ὀρέστην, ὡς ἀνάξομεν δόμοις.

In quibus primo quid illud eſt, βροτοῖς λέγω? Id nimirum cunctis mortalibus exponendum erat, manes Agamemnonis nunc ab Electra implorari. Immo ne coram paucis quidem ſatis tuto dici poterat, quod Clytaemneſtra ſi reſciſceret, malum Electrae datum iri patebat. Tum quae illa tam praefracta eſt et plane rudis verborum nectendorum ratio, καλοῦσα πατέρ', ἐποίκτειρόν τ' ἐμέ? Turnebus βοτοῖς habet. Id in libris MSS. facili litterarum aberratione e φθιτοῖς natum videtur. Totus vero locus ita refingendus eſt:

κἀγὼ χέουσα τάσδε χέρνιβας φθιτοῖς
λέγω, καλοῦσα πατέρ', ἐποικτείρειν ἐμέ,
φίλον τ' Ὀρέστην, ὡς ἀνάξομεν δόμοις.

Ego quoque, inquit, has inferias diis manibus affero, et patrem inuocans, oro, miſereatur mei atque Oreſtis, vt tandem potiamur laris noſtri. Λέγω ἐποικτείρειν, vt infra v. 139.

τοῖς δ' ἐναντίοις
λέγω φανῆναί σου, πάτερ, τιμάορον,
καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατακτανεῖν δίκην.

Quorum verſuum poſtremus nullo pacto cum Graecae linguae legibus conciliari poteſt. Scribe:

καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατακανεῖν δίκῃ

Euripides Medea 260.

ἤν μοι πόρος τις μηχανή τ' ἐξευρεθῇ
πόσιν δίκῃ τῶνδ' ἀντιτίσασθαι κακῶν.

Vt ad Choephoros redeam, correctionem noſtram firmat et ipſe Aeſchylus in Perſis v. 217.

δεύτερον δὲ χρὴ χοὰς
γῇ τε καὶ φθιτοῖς χέασθαι.

et locus Euripidis in Alceſtide, a Schützio iam allatus. Is inde a v. 98. ita ſcribi debet:

πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ
πηγαῖον, ὡς νομίζεται,
χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις,
χαίτα τ' οὔτις ἐπὶ πρόθυρα

τομαῖος, ἃ δὴ νεκύων
ἐν πένθεσι χειρὶ γυναικῶν
πιτνοῦσιν νεολαία.

Antiſtropha enim haec eſt, foediſſime corrupta, cuius ſtropha, quae v. 87. ſeqq. legitur, ſic ſcribenda eſt:

κλύει τις ἢ στεναγμὸν, ἢ
χερῶν κτύπον κατὰ στέγας,
ἢ γόον, ὡς πεπραγμένων;
οὐ μὰν οὐδέ τις ἀμφιπόλων
στατίζεται ἀμφὶ πύλας.
εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας,
ἰὼ Παιὰν, φανείης.

In his στατίζεται vltimam breuem habet, ſicut in antiſtropha ἃ pluralis eſt, quod quum mirarentur librarii, pro πιτνοῦσιν ſcribendum putarunt πιτνεῖ, vt illud cum verbo χαίτα conueniret. Verum pluralis ad rem vniuerſam refertur. Similis corruptio in Pindaro Pyth. VI. 20. libros inuaſit, qui quum ad vnum omnes τὰν exhibeant, recte Schmidius τὰ repoſuit. Locum, quo ſimilior eſt Euripideo, adſcribam:

σύ τοι σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρός, ὀρθὰν
ἄγεις ἐφημοσύναν,
τά ποτ' ἐν οὔρεσι φαντὶ μεγαλοσθενεῖ
Φιλύρας υἱὸν ὀρφανιζομένῳ
Πηλείδᾳ παραινεῖν.

Sequitur aliud in Choephoris carmen inde a v. 149. quod nec monoſtrophicum nec mutilum eſſe iam eruditiſſimus editionis Schützianae cenſor animaduertit. In quo carmine vt inſigne vitium v. 151. praeclare ſustulit Schützius, ita non minor corruptela in his verbis eſt, τίς δορυσθενὴς ἀνήρ, ἀναλυτὴρ δόμων Σκύθης. Nam quid eſt, quare ille liberator penatium Agamemnonis Scytha dicatur? Non certe tantam fuiſſe accepimus Scytharum virtutem bellicam, vt viri ſtrenui et fortes ſimpliciter et κατ' ἐξοχὴν Scythae vocarentur. Quid quod lictores Athenis Σκύθαι audiebant? Nec vero Oreſtem Scytham appellatum fuiſſe, propterea quod Tauros in Scythiam ſe contulerit, credibile eſt. Id enim longo demum tempore poſt vltionem Clytaemneſtrae factum conſtat. Deinde etiam articulus τὰ non ſatis de more Aeſchyli adhibitus eſt. Quid multa? Viam emendandi certiſ-

ſimam metrum monſtrat. Scribendum enim ita eſt:

Stropha

Ἴετε δάκρυ κατάχες ὀλόμενον
ὀλομένῳ δεσπότᾳ πρὸς ἔρυμα
τόδε κεδνῶν, κακῶν
τ' ἀπότροπον ἄγος ἀπεύχετον
κεχυμένων χοᾶν. Κλύε δέ μοι, κλύε,
σέβας ὦ δέσποτ', ἐξ ἀμαυρᾶς φρενός.

Antiſtropha

Ὀτοττοτοῖ, ὀτοτοτοττοτοῖ,
ἰὼ τίς δορυσθενὴς ἀνὴρ
ἀναλυτὴρ δόμων,
Σκύθης τ' ἐν χεροῖν παλίντονα
ἐν ἔργῳ βέλη 'πιπάλλων Ἄρης,
σχέδιά τ' αὐτόκωπα νωμῶν βέλη;

Horum verſuum primus antiſpaſto et dochmio, ſecundus et quartus dochmio et antiſpaſto conſtant, reliqui dochmiaci ſunt. Atque in ſtropha quidem non poterat ſcribi δέσποτα 'ξ, quum α vocatiui, quod breue eſt, contractionem non admittat, ſed elidatur. Euripides Helena 1209.

ὦ δέσποτ᾽, ἤδη γὰρ τόδ᾽ ὀνομάζω σ᾽ ἔπος.

Deinde in antifiropha Σκύθης Ἄρης dici potuit ab arcu, qui ei hic tribuitur. Nam Scythae

ἐκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι,

vt in Prometheo eſt v. 717. Vnde Scythicus arcus, res notiſſima, vt apud Ouidium epiſt. ex Ponto I. 1, 79. III. 8, 19. Verum magis proprie Mars Scythicus dictus videtur, qui in Scythia maxime, vicina Thraciae, quae eius ſedes erat, coli ſoleret. Ita Statius Theb. III. 429. de Marte:

vrget enim ſtimulis auriga cruentis
facta infecta loqui, curruque infeſtus ab alto
terga comasque deae Scythica pater increpat haſta.

Vide Meurſium ad Lycophr. v. 937. Nec βέλη verſu vltimo in ξίφη cum Schützio mutandum putem. Nihil enim in Aeſchylo frequentius, quam eiusdem verbi in eodem loco crebrae repetitiones.

CAP. VI.

Continuantur obſeruationes in Choephoros vsque ad v. 295. Eἰ cum coniunctiuo.

V. 192. haec dicit Electra de cincinno, quem in patris tumulo inuenerat:

> εἴθ' εἶχε φωνὴν εὔφρον', ἀγγέλου δίκην,
> ὅπως δίφροντις οὖσα μὴ 'κινυσσόμην·
> ἀλλ' εὖ σαφηνῆ τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον,
> εἴπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος,
> ἢ ξυγγενὴς ὢν εἶχε συμπενθεῖν ἐμοί,
> ἄγαλμα τύμβου τοῦδε καὶ τιμὴν πατρός.

Quae quum intelligi non poſſe viderentur, Schützius primum ἔμφρονα cum Stanleio pro εὔφρονα ſcribendum cenſet, quod ſine dubio recte factum eſt; deinde pro εὖ σαφηνῆ legendum coniicit, ἢ σάφ' ἦν μοι; denique pro τιμὴν repoſuit τιμή. Ac ſane hae quoque coniecturae tam doctae, tamque elegantes ſunt, vt ipſae ſe ſtatim omnibus commendare videantur. Cenſor tamen editionis Schützianae non minus acute animaduertit, non neceſſarium eſſe, vt

verba εὖ σαφηνῆ mutarentur, ſi, minore diſtinctione in cuiusque verſus fine adhibita, verſu 196. εἴθε e praecedentibus repetendum intelligeretur. Quo facto his verbis loci ſenſum explicat: *vtinam vocem intelligibilem haberet hic cincinnus, ne animi incerta agitarer, ſed vt agnitos inimici capitis capillos abominarer; aut cognatus ſi mihi eſt, vtinam poſſet meeum lugere, tamquam tumuli paterni ornamentum et decus.* Equidem vt in Schützii lectione mutationis lenitatem, ita in Eichſtadii explicatione concinnitatem deſidero. Primum enim durum videtur εἴθε v. 196. intelligere, quum tam multa inter hunc verſum et eum, vnde illud εἴθε repetendum eſt, intercesſerint. Deinde vero ne ſatis recte quidem oppoſitae videntur ſententiae, ſi Electra aut vt voce praeditus ſit cincinnus optat, aut eum, ſi cognatus ipſi ſit, dolere ſecum cupit. Id non eſt in Schützii correctione, in qua Electra aut abominandum inimici capitis cincinnum, aut, ſi fratris ſit, doliturum eſſe ſecum dicit. Quae quum ita ſint, Schützii quidem rationem ſervandam puto, ſed ita, vt multo leniore mutatione opus ſit. Sic enim ſcribendum exiſtimo:

εἴθ' εἶχε φωνὴν ἔμφρον', ἀγγέλου δίκην,
ὅπως δίφροντις οὖσα μὴ 'κινυσσόμην,
ἀλλ' ἢ σαφηνῆ τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον,
εἴπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος,
ἢ, ξυγγενὴς ὤν, εὖ γε συμπενθεῖν ἐμοὶ
ἄγαλμα τύμβου τοῦδε καὶ τιμὴν πατρός.

Vtinam, inquit, voce hic cincinnus praeditus eſſet, ne incerta animi agitarer, ſed aut abominarer eum, ſi inimici capitis eſt, aut, fratris ſi eſt, vt dolere mecum ornamentum poſſet huius tumuli et honos patris.

Sequitur locus multo magis corruptus, qui legitur inde a v. 202.

καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον,
ποδῶν ὁμοῖοι, τοῖς δ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς.
καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν,
αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός.
πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρουμέναι
εἰς ταυτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.

De huius loci tum interpretatione, tum correctione optime meritus eſt eruditiſſimus Schützianae editionis cenſor, quum interpretamenti

veſtigia hic aperuit. Quamquam de eo vehementer dubito, an ille non omnino veram rationem emendandi aſſequutus ſit. Nam vt taceam audacius factum eſſe, quod vltimum verſum in locum ſecundi ſubſtituit, quem pariter vt quintum ex interpretis adnotatione ortum putat, id ego maxime miror, quomodo cuiquam interpreti in mentem venerit, tritiſſimam dicendi formulam, *εἰς ταυτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις*, longe rariore et exquiſitiore formula, *τοῖς ἐμοῖς ἐμφερεῖς*, explicare. Quin poſtremi duo verſus ita cohaerent, atque ita ſponte ad metrum ſeſe accommodant, vt hos ego eiiciendos putem, non ſecundum, qui, ſi quis alius in hoc loco, maxime dignus Aeſchylo eſt.

Sequitur alius locus, in quo tam acutam atque elegantem correctionem Schützius repoſuit, vt difficile ſit ei non asſentiri. Atque hae quidem emendationes neſcio an maximam criticis laudem pariant, quae licet verae non ſint, asſenſionem tamen legentium veluti vi extorqueant. Id quod in hoc loco, quem prolaturus ſum, cenſori editionis Schützianae accidit. Verba ſunt Electrae ad Oreſtem v. 232.

ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρὸς,
δακρυτὸς ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου.

Ibi quis non merito laudandam putet Schützii lectionem,

δακρυτὸς ἐλπίς, σπέρματος σωτήριος.

Ego tamen quum vbique aegerrime adduci me patiar, vt de librorum lectione recedam, hic quoque dubitaui, an defendi poſſet id, quod conſenſu libri exhibent. Atque expedita in hanc rem ratio eſt. Nam σπέρμα non ad Oreſtis, ſed ad Agamemnonis progeniem ſpectat; nec de genere Atridarum conſeruando hic agitur, ſed de retinenda ac tuenda paterna domo. Itaque recte dicitur Oreſtes δακρυτὸς ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου, Agamemnonis filius ſoſpitator, cuius videndi ſpes deplorata iam fuerit. Hanc interpretationem egregie confirmat verſus, qui ſequitur:

ἀλκῇ πεποιθὼς δῶμ᾽ ἀνακτήσῃ πατρός.

Idem igitur eſt σωτήριον σπέρμα, ac qui ſupra v. 157. ἀναλυτὴρ δόμων dictus erat.

In loco eo, vbi Oreſtes poenas enumerat, quas ipſi Apollo minatus eſſet, ni caedem patris vlciſceretur, tanta ſagacitate cenſor editionis Schützianae omnem obſcuritatem dimouit, vt nihil amplius dubitationis relictum ſit, niſi de v. 273. In quo ille Schützio asſentitur, pro αὐτὸν reponenti ἀτίτῳ. Quae coniectura etſi nobis quoque docta et digna Aeſchylo videtur, tamen, quo ea magis ab librorum omnium lectione recedit, eo magis vulgatam lectionem tuendam exiſtimamus. Verba autem Oreſtis haec ſunt:

> οὔτοι προδώσει Λοξίου μεγασθενὴς
> χρησμός, κελεύων τόνδε κίνδυνον περᾷν,
> κἀξορθιάζων πολλά, καὶ δυσχειμέρους
> ἄτας ὑφ᾽ ἧπαρ θερμὸν ἐξαυδώμενος
> εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους,
> τρόπον τὸν αὐτὸν ἀνταποκτεῖναι λέγων
> ἀποχρημάτοισι ζημίαις ταυρούμενον.
> αὐτὸν δ᾽ ἔφασκε τῇ φίλῃ ψυχῇ τάδε
> τίσειν μ᾽ ἔχοντα πολλὰ δυστερπῆ κακά.

Ac duae fuerunt cauſſae, quare Schützio diſpliceret interpretatio Stanleii, qui ipſum Oreſtem capite ſuo poenas daturum dici putat. Primum

enim frigere αὐτὸν inani pleonaſmo dicit; deinde vero, quum anteceſſiſſet mandatum Apollinis, quo iubebatur Oreſtes patrem vlciſci, poenas hac demum lege et conditione ei proponi potuiſſe, ſi patrem non vlciſceretur. Id igitur in vulgari lectione omiſſum, vocabulo αὐτὸν in ἀτίτῳ mutando, reſtituit. Ac ſane quis id recte factum negabit, dum cauſſae, quas affert, verae ſint? Quod nobis quidem non ita videtur. Nam pleonaſmus quidem in vocabulo αὐτὸν ſic demum ineſt, ſi idem ſignificatur his verbis, δυςχειμέρους ἄτας ὑφ' ἧπαρ θερμὸν ἐξαυδώμενος· At vero inſignis illa calamitas, quam vaticinatus Apollo erat, non neceſſario ad ſolum Oreſtem referenda erat, ſed poterat etiam ad Electram, poterat ad omnem poſteritatem Agamemnonis, poterat denique ad patriam ipſam ſpectare. Quare nullus mihi quidem videtur pleonaſmus exſiſtere, ſi Oreſtes, quo certius definiat atque deſcribat iſtam calamitatem, eam ad ſe ipſum pertinere dicit. Particula δὲ enim pro γὰρ poſita eſt. Deinde ne illud quidem omiſſum eſt in praecedentibus, qua lege et conditione malum Oreſti paratum ſit. Ea enim perſpicue hoc verſu continetur,

εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.

Haec enim totius loci ſententia eſt, vt breui complectar: vlciſci caedem patris iuſſit Apollo, magnam minatus calamitatem, ſi parricidas, quos pari ſupplicio afficiendos dixit, non perſequerer. Nam ipſum me meo capite multas et graues poenas daturum eſſe. Quae quum ita ſint, non adducor, vt ab librorum lectione recedendum putem.

Poſtquam enarrauerat Oreſtes poenas, quas ipſi Apollo propoſuiſſet, ſi vindictam parricidii non ſumeret, ita pergit v. 294.

τοιοῖσδε χρησμοῖς ἆρα χρὴ πεποιθέναι.
κεἰ μὴ πέποιθα, τοὔργον ἐξεργαστέον.

In quibus verbis vereor, vt recte ſe habeat indicatiuus *πέποιθα.* Eo enim ſignificari videtur, Oreſtem non credere oraculo. At credendum eſſe modo dixerat. Itaque neſcio an rectius ſcribatur,

κεἰ μὴ πεποίθω, τοὔργον ἐξεργαστέον.

Euripides Iph. Aul. 1238.

βλέψον πρὸς ἡμᾶς, ὄμμα δὸς φίλημά τε,
ἵν᾽ ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ᾽ ἔχω σέθεν
μνημεῖον, εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις.

Ac merito dubitat Locella ad Xenoph. Ephef. p. 185. an falfa fit illorum opinio, qui εἰ negant cum coniunctiuo copulari poffe. In his Brunkius quoque eft, quem praeter locis ab Locella allatis vide ad Plutum v. 116. Equidem huic grammaticorum regulae non multum tribuendum puto: cui fi obtemperandum effet, non modo ingens copia exemplorum contra omnium librorum fidem mutanda effet, fed multi loci poetarum, in quibus metri neceffitas coniunctiuum tuetur, ne poffent quidem mutari. Atque vt aliqua certe huius rei teftimonia proferam, apud Homerum εἰ cum fubiunctiuo legitur Iliad. I. 340. V. 258. IX. 318. XV. 16. Odyff. V. 221. VII. 204. XVI. 138. in hymno Apollinis v. 46.

εἴ τίς οἱ γαιέων υἱεῖ θέλῃ οἰκία θέσθαι.

in quo verfu non asfentior Ilgenio, cariffimo olim praeceptori meo, qui de metro veritus εἴ κέ τίς οἱ repofuit. Nam metro vulgatam lectio-

nem non repugnare ostendi lib. I. de metris p. 84. Alia exempla particulae *εἰ* subiunctiuo coniunctae sunt apud Pindarum Pyth. IV. 473. 488. Nem. VII. 16. 21. IX. 110. Isthm. V. 17. Xenoph. Anab. VII. 6, 24.

CAP. VII.

Emendatur locus Choephororum v. 312-475.

Sequitur inde a v. 312. locus verſuum centum et ſexaginta quatuor, in quo praeter tria ſyſtemata anapaeſtica, reliqui verſus non, quod hactenus putabatur, maximam partem monoſtrophici, ſed ad vnum omnes antiſtrophici ſunt. Quamobrem metri in primis regula adiutus ita hunc locum reſtituendum puto, in quo emendando praeclaram operam praeiuit Schützius.

Stropha I

ΟΡΕΣΤΗΣ

Ὦ πάτερ αἰνόπατερ, τί σοι
φάμενος, ἢ τί ῥέξας
τύχοιμ' ἂν, ἕκαθεν οὐρίσας
315 ἔνθα σ' ἔχουσιν εὐναί;
σκότῳ φάος ἰσόμοιρον,
χάριτες δ' ὁμοίως
κέκληται γόος εὐκλεὴς
προσθοδόμοις Ἀτρείδαις.

Stropha II

ΧΟΡΟΣ

320 Τέκνον, φρόνημα τοῦ
θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς ἁ μαλερὰ γνάθος,
φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς.
ὀτοτύζεται δ' ὁ θνήσκων,
325 ἀναφαίνεται δ' ὁ βλάπτων.
πατέρων δὲ καὶ τεκόντων
γόος ἔνδικος ματεύει
ποινὰν ἀμφιλαφὴς ταραχθείς.

Antiſtropha I

ΗΛΕΚΤΡΑ

κλῦθί νυν, ὦ πάτερ, ἐν μέρει
330 πολυδάκρυτα πένθη.
δίπαις τοι σ' ἐπιτύμβιος
θρῆνος ἀναστενάζει.
τάφος δ' ἱκέτας δέδεκται,
φυγάδας θ' ὁμοίως.
335 τί τῶνδ' εὖ; τί δ' ἄτερ κακῶν;
οὐκ ἀτρίακτος ἄτα;

Anapaesti

ΧΟΡΟΣ

Ἀλλ' ἔτ' ἂν ἐκ τῶνδε θεὸς χρήζων
θείη κελάδους εὐφθογγοτέρους,
ἀντὶ δὲ θρήνων ἐπιτυμβιδίων
340 παίων μελάθροις ἐν βασιλείοις
νεοκρᾶτα φίλον κομίσειεν.

Stropha III

ΟΡΕΣΤΗΣ

Εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ
πρός τινος Λυκίων, πάτερ,
δορίτμητος κατηναρίσθης,
345 λιπὼν ἂν εὔκλειαν ἐν δόμοισι,
τέκνων τε κελεύθοις
ἐπίστρεπτον αἰῶνα κτίσσας
πολύχωστον ἂν εἶχες
τάφον διαποντίου γᾶς
350 δώμασιν εὐφόρητον·

Antistropha II

Φίλος φίλοισι τοῖς
ἐκεῖ καλῶς θανοῦσι,
κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων

σεμνότιμος ἀνάκτωρ,
355 πρόπολός τε τῶν μεγίστων
χθονίων ἐκεῖ τυράννων·
βασιλεὺς γὰρ ἦς, ὄφρ' ἔζης,
μόριμον λάχος πιμπλάντων
χεροῖν πεισίμβροτόν τε βάκτρον.

Antistropha III

ΗΛΕΚΤΡΑ

360 Μηδ' ὑπὸ Τρωΐοις
τείχεσι φθίμενος, πάτερ,
μετ' ἄλλῳ δοριχμῆτι λαῷ
παρὰ Σκαμάνδρου πόρον τέθαψαι,
πάροιθε θανών, ἢ
365 κτανόντεσσιν οὕτω δαμῆναι,
θανατηφόρον αἶσαν
πρόσω τινὰ πυνθάνεσθαι
τῶνδε πόνων ἄπειρον.

Anapaesti

ΧΟΡΟΣ

Ταῦτα μὲν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,
370 μεγάλης δὲ τύχης καὶ Ὑπερβορέου

μείζονα φωνεῖς ὀδυνᾶσα.
ἀλλὰ διπλῆς γὰρ τῆσδε μαραίνης
δοῦπος ἱκνεῖται· τῶν μὲν ἀρωγοὶ
κατὰ γῆς ἤδη, τῶν δὲ κρατούντων
375 χέρες οὐχ ὅσιαι στυγερῶν ὄντων·
παισὶ δὲ μᾶλλον γεγένηται.

Stropha IV

ΗΛΕΚΤΡΑ

Τοῦτο διαμπερὲς οὖς
ἵκεθ', ἅπερ τε βέλος.
Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων
380 ὑστερόποινον ἄταν
βροτῶν τλήμονι καὶ πανούργῳ
χειρί, (τοκεῦσι δ' ὅμως τελεῖται.)

Stropha V

ΧΟΡΟΣ

ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι
πευκάεντ' ὀλολυγμὸν ἀνδρὸς
385 θεινομένου, γυναικός τ' ὀλλυμένας.
τί γὰρ κεύθω, φρενὸς οἷον ἔμπας
ποτᾶται πάροιθέν τε πρώρας

δριμείας κραδίας
θύματος ἔγκοτον στύγος.

Antistropha IV

390 Καί ποτ' ἂν ἀμφιθαλὴς
Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι,
φεῦ, φεῦ, κάρανα δαΐξας.
πιστὰ γένοιτο χώρα·
δίκαν δ' ἐξ ἀδίκων ἀπαιτῶ.
395 κλῦτε δὲ τὰ χθονίων τετιμέναι.

Anapaesti

ΧΟΡΟΣ

Ἀλλὰ νόμος μὲν, φονίας σταγόνας
χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν
αἷμα· βοᾷ γὰρ λοιγὸς Ἐριννὺν
παρὰ τῶν προτέρων φθιμένων ἄταν
400 ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτᾳ.

Stropha VI

ΗΛΕΚΤΡΑ

ποῖ ποῖ δὴ νερτέρων τυραννίδες;
ἴδετε πολυκρατεῖς ἀραὶ φθιμένων,
ἴδεσθ' Ἀτρειδᾶν τὰ λοιπ' ἀμηχάνως

ἔχοντα καὶ δωμάτων

405 ἄτιμα. πᾶ τις τράποιτ᾽ ἂν, ὦ Ζεῦ;

Antistropha V

ΧΟΡΟΣ

Πέπαλται δ᾽ αὖτέ μοι φίλον

κέαρ τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

καὶ τότε μὲν δύσελπις, σπλάγχνα δέ μοι

κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλυούσῃ,

410 ὅταν δ᾽ αὖτ᾽ ἐπαλκὲς θρασεῖαν

ἀπέστασεν ἄχος,

πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς.

Antistropha VI

ΗΛΕΚΤΡΑ

τί δ᾽ ἂν εἰπόντες τύχοιμεν; ἢ τάπερ

πάθομεν ἄχθεα πρός γε τεκομένων

πάρεστι σαίνειν; τὰ δ᾽ οὔτι θέλγεται.

416 λύκος γὰρ ὥστ᾽ ὠμόφρων

ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.

Stropha VII

Ἔκοψε κομμὸν Ἄρειον, εἶτα Κισσίας

νόμοις πολεμιστρίας

420 ἄπρηκτα πολύπλαγκτ' ἦν ἰδεῖν
ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα
ἄνωθεν ἀνέκαθεν· κτύπῳ δ' ἐπιῤῥοθεῖ
κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.
. . . .

425 ἰώ, ἰώ, δαΐα
πάντολμε μᾶτερ, δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς
ἄνευ πολιτᾶν ἄνα-
κτ', ἄνευ τε πενθημάτων
ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι.

Stropha VIII

ΟΡΕΣΤΗΣ

430 Τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι.
πατρὸς δ' ἀτίμωσιν ἆρα τίσει
ἕκατι μὲν δαιμόνων,
ἕκατι δ' ἀμᾶν χερῶν.
ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.

Antiſtropha VIII

435 Ἐμασχαλίσθη δ' ἔθ', ὡς τόδ' εἰδῇς.
ἔπρασσε δ' ἅπερ νιν, ὧδε θάπτει,
μόρον γε μαιμωμένα
ἄφερτον αἰῶνι σῷ.
κλύεις πατρῴους δύας ἀτίμους.

Antistropha VII

ΟΡΕΣΤΗΣ

440 Πατρώϊον λέγεις, πατρώϊον μόρον.

ΗΛΕΚΤΡΑ

Ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν
ἄτιμος, οὐδενὸς ἀξία.
μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκαν
ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη
445 χαίρουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένα.
τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν
γράφου, δι' ὤτων δὲ συν-
τέτραινε μῦθον ἡσύχῳ φρενῶν βάσει.
τὰ μὲν γὰρ οὕτως ἔχει,
450 τὰ δ' αὐτὸς ὄργα μαθεῖν.
πρέπει δ' ἀκάμπτῳ μένει καθήκειν.

Stropha IX

ΟΡΕΣΤΗΣ

Σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις.

ΗΛΕΚΤΡΑ

Ἐγὼ δ' ἐπιφθέγγομαι κεκλαυμένα,
στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιῤῥόθει,

455 ἄκουσον ἐς φάος μολών,
ξὺν δὲ γενοῦ πρὸς ἐχθρούς.

Antistropha IX

Ἄρης Ἄρει ξυμβάλλει, δίκα δίκα.
ἰὼ θεοί, κραίνετ' ἐνδίκως δίκας.

ΧΟΡΟΣ

Τρόμος μ' ὑφέρπει κλύουσαν εὐγμάτων.
460 τὸ μόρσιμον μένει πάλαι,
εὐχομένοις δ' ἂν ἔλθοι.

Stropha X

ὦ πόνος ἐγγενής,
καὶ παράμουσος ἄτας
αἱματόεσσα πλαγά.
465 ἰὼ δύστον' ἄφερτα κήδη,
ἰὼ δυσκατάπαυστον ἄλγος,

Antistropha X

δώμασιν ἔμμοτον
τῶν ἑκάς· οὐδ' ἀπ' ἄλλων
ἔκτοθεν, ἀλλ' ἀπ' αὐτῶν

470 αἰῶν' ἀναιρεῖν, αἱματηρᾶν
θεῶν τᾶν κατὰ γᾶς ὅδ' ὕμνος.

A n a p a e s t i

Ἀλλὰ κλύοντες, μάκαρες χθόνιοι,
τῆςδε κατευχῆς, πέμπετ' ἀρωγὴν
παισὶ προφρόνως ἐπὶ νίκην.

In his v. 515. Eichstadius subtiliter animadvertit, locum hactenus praua distinctione laborasse. Idem eleganter coniicit legendum esse, αἰσιόμοιρον. Verum haec coniectura etiam antistrophicum versum mutari postulat. Quare equidem retinendam arbitror vulgatam lectionem ἰσόμοιρον, cuius verbi prope eadem hic difficultas est, quae in Sophoclis Electra, v. 86.

ὦ φάος ἁγνόν, καὶ γῆς
ἰσόμοιρος ἀήρ.

Videntur autem ἰσόμοιρα dici, quae quid aequa proportione inter se participant, eoque coniuncta inter se et consociata sunt. Ita ἀὴρ ἰσόμοιρος γῆς aer dicitur contiguus terrae: ita hic φάος ἰσόμοιρον σκότῳ, lux contigua tenebris. Igitur quemadmodum lux cum tenebris coniuncta sit,

ita etiam luctum dicit gratum patri futurum esse.

V. 325. nexus sententiarum poscebat, vt δὲ pro τὲ scriberetur. Παιάν autem Schützii quis non verum putabit?

V. 331. ἐπιτύμβιος metri caussa scribi debebat, vt mox v. 344. κατηναρίσθης. Caeterum quae inde a v. 342. vsque ad v. 359. leguntur, Oresti tribuenda videntur, tum quod hunc ea, quae commemorantur, magis quam Electram decent, tum ne ab eadem persona ea, quae de occasu Agamemnonis ad Troiam dicuntur, repeti necesse sit.

V. 359. nolim verba πεισίμβροτόν τε βάκτρον mutari. Vsus est enim verbo, quod, quoniam cum vno substantiuo bene copulabatur, etiam ad alterum transtulit, de quo genere loquendi dixerunt Doruillius ad Charit. p. 394. et Ernestius ad Xenoph. Mem. Socr. II. 1.

V. 360. vulgatum Τρωΐας strophicus monstrat non in Τροίας sed in Τρωΐοις mutandum fuisse.

V. 364. et qui sequitur, quo pacto corrigendi essent, strophici maxime docebant. Tum ipsa litterarum earumdem repetitio et pronunciationis similitudo coniecturam nostram ita confirmant, vt non dubitemus, quin hic, si vsquam alias, veram lectionem indagauerimus.

V. 375. legitur στυγερῶν τούτων, quo nihil fingi languidius potest. Quare ὄντων scripsi. Id enim requirebatur, vt, quare impurae essent manus Clytaemnestrae et Aegisthi, indicaretur.

V. 379. et qui sequuntur, Electrae magis conuenire videbantur, quod etiam Stanleio placuit. Quae deinde v. 383. sequuntur, choro tribuenda erant, tum propter ἐφυμνῆσαι, quod chori est, tum propter illa, πιστὰ γένοιτο χώρᾳ, quae pariter non possunt ab alio dici. Sed quum chorus deinde in anapaestis animi sui commotionem sedasset, quae inde v. 401. sequuntur, Electrae assignanda erant. Rursus deinde chorus dicit, quae leguntur v. 406. seqq. quod prima verba clare indicant, quibus simillima infra dicit chorus v. 459. Denique v. 413. Electra rursus loqui incipit.

V. 386. seqq. corrupta omnia et mirum in modum languida erant. Ea leui mutatione ita correxi, vt nec metrum laboret, neque ad sententiae vim quidquam desiderari videatur. Errorum caussae, partim in aberratione litterarum, partim in constructionis difficultate positae erant. Sic enim verus verborum ordo procedit, τί γὰρ κεύθω, οἷον ἔμπας θύματος ἔγκοτον στύγος ποτᾶται πάροιθεν φρενὸς πρώρας τε δριμείας καρδίας. Quid enim celem, inquit, quanta nihilominus propter caedem Agamemnonis indignatio in mente mihi et corde volutetur. Θῦμα autem caedem vocat, vt Clytaemnestram Agamemnonis θυτῆρα v. 252. Euripides Herc. f. 994.

δεύτερον δὲ παῖδ' ἑλὼν
χωρεῖ τρίτον θῦμ' ὡς ἐπισφάξων δυοῖν.

V. 403. recte se habebat ἴδεσθε, quod antistrophicus 415. ostendit.

V. 408. et seqq. Verba σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται etiam ad illa, quae deinde dicuntur, repetenda sunt, πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς. Nunc, inquit, desperanti mihi pectus feruet, nunc et-

iam, vbi dolor cessauit, feruet, vt spem capiam.

V. 413. seqq. ἂν et τῶν deletum a me est metri necessitate ita iubente. Est autem primus huius strophae versus ex antispasto compositus, qui in antistropha anacrusin bisyllabam habet, et iambico ordine triplici.

V. 418. seqq. vehementer corrupti erant. In quibus primum εἶτε, quod hic locum non habet, recte in εἶτα mutatum est a Schützio. Deinde quae sequebantur, non dubium est ab Aeschylo ita scripta fuisse, ἀπρηκτα πολύπλαγκτ' ἦν ἰδεῖν, eaque non interrupta orationis perpetuitate vsque ad ἄνωθεν, ἀνέκαθεν continuantur, quae verba non possunt ad sequentia trahi. Vbi primum feriisset Agamemnonem, inquit, inde Cissiae more bellatricis vanis, multivagis, ingeminatis ictibus sursum deorsum eum petebat. Ἄπρηκτα χερὸς ὀρέγματα ictus sunt, quibus quis non penitus interimitur; ob eamque rem iterantur, vnde πολύπλαγκτα et ἐπασσυτεροτριβῆ dicuntur. Caeterum notabilis est varietas editionis Turnebi, quam non indicauit Schützius, ῥεύγματα. Quod equidem nec prorsus damna-

re, nec defendere aufim. Scholiaftes quid legerit, incertum eft. Nam τύμματα, quo ille vocabulo vtitur, ad vtramque lectionem referri poteft. Poft illum autem verfum,

κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα,

iambicum dimetrum excidiffe antiftropha arguit.

V. 437. Μόρον γε μαιμωμένα. Ita fcripfi pro librorum lectione μόρον κτεῖναι μωμένα, in quo nec numeri, nec fenfus ineft. Hefychius, μαιμώμενος, ὁρμῶν, ζητῶν, quod poftremum vocabulum non putem ad μαιόμενος fpectare, quum μαιμάειν proprie *concupifcere* fignificet.

V. 440. vocabulum πατρῷον metri cauffa iterandum erat, quae repetitio etiam ad fenfum maiorem vim habet.

V. 442. οὐδενὸς ἀξία fcripfi. Anapaeftus nihil obeft iambo apud Aefchylum. Similiter fupra v. 419.

νόμοις πολεμιστρίας.

V. 458. δίκας adiiciendum effe, quod propter fimilitudinem praecedentis verbi exciderat, metrum docet. Eurip. Heraclid. 143.

δίκαιοι δ' ἐσμὲν οἰκοῦντες πόλιν
αὐτοὶ καθ' αὐτῶν κυρίους κραίνειν δίκας.

V. 467. 468. Ἔτας non poſſe ſcribi, metrum arguit. Nec ſane eſt, quare vulgata lectio mutetur, ſi modo, quod fecimus, interpunctione adiuuetur locus, et male intruſum δὲ deleatur. Hei dolorem, inquit, ob ſublatum Agamemnonem, vlcus domeſticum.

V. 471. τᾶν exciderat ſimilitudine litterarum cum ſequente κατά.

CAP. VIII.

Continuantur obſeruationes in Choephoros inde a v. 490. vsque ad v. 749. Τὸ μεταίχμιον. Emendatur Sophocles in Oedipo Coloneo. Εἶεν extra verſum.

V. 490. haec leguntur,

ΟΡΕΣΤΗΣ

πέδαις δ' ἀχαλκεύτοις ἐθηρεύθης, πάτερ.

ΗΛΕΚΤΡΑ

αἰσχρῶς τε βουλευτοῖσιν ἐν καλύμμασιν.

ΟΡΕΣΤΗΣ

ἆρ' ἐξεγείρῃ τοῖσδ' ὀνείδεσιν, πάτερ;

In his primum βουλευτοῖσι pro ἐπιβουλευτικοῖς mihi quidem nouum eſt. Deinde, vt hoc recte dicatur, miror, quid ſit, quod tam languidum epitheton et plane de triuio ſumptum adiecerit; magis etiam miror, quod hoc tam indignum videtur Oreſti, vt propterea patrem ira correptum iri ſperet. Immo vero maius quid et acerbius, quam quod ipſe Oreſtes dixerat,

adiicere Electra debebat, vt ille tantis opprobriis excitatum iri patrem ſperare poſſit. Quare ſic puto Aeſchylum ſcripſiſſe,

αἰσχρῶς τε βουθύτοισιν ἐν καλύμμασιν.

Ac turpiter, inquit, hoſtiae more mactatus es. Spectauit enim morem victimas vittis ornandi, quod veſte capiti iniecta irretitus Agamemno interfectus eſt. Ita Lycophron de Polyxena v. 327.

στεφηφόρον βοῦν δεινὸς ἄρταμος δράκων
ῥαίσει τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος.

V. 506. ſeqq. ita ab Schützio editi ſunt:

[αὐτὸς δὲ σῴζῃ τόνδε τιμήσας λόγον]
καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδε τιμήσας λόγον
τίμημα τύμβου τοῦδ' ἀνοιμώκτου τύχης.

Quorum verſuum primus tantum abeſt, vt mihi quidem ſpurius videatur, vt potius non dubitem, quin is, qui ſequitur, ex interpretatione natus ſit. Quod ſi id dicere voluiſſet Aeſchylus, quod Schützio placet, non τύχης, ſed τύχοις ἂν dictum oportebat. Quare medio illo verſu eiecto, qui, vt in libris legitur, ne eſt qui-

dem omnino verſus, vulgatam lectionem, mutata tantum interpunctione, reponendam cenſeo:

αὐτὸς δὲ σώζῃ τόνδε τιμήσας λόγον,
τίμημα τύμβου, τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.

Sic enim libri habent, non, quod Schützius refert, τῆς δ' ἀνοιμώκτου τύχης. Ipſe, inquit, liberaberis hac ſorte, de qua nemo conqueritur, ſi dictis meis, honorificis tumulo tuo, morem geſſeris. Ἀνοίμωκτος τύχη non tantum propterea dicitur, quod honore exſequiarum priuatus Agamemno fuerat, de qua re ſupra v. 430. erat,

ἄνευ δὲ πενθημάτων
ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι,

ſed etiam, quod inulta adhuc caedes eius erat. Ita *ἀνοιμωκτὶ impune* eſt apud Sophoclem in Aiace v. 1227.

Mox mirum eſt, quod legitur v. 514.

θανοῦντι δ', οὐ φρονοῦντι, δειλαία χάρις
ἐπέμπετο.

Vbi etſi in promptu eſt θανόντι corrigere, vereor tamen ne falſa librorum lectio e plurali orta ſit,

θανοῦσι δ', οὐ φρονοῦσι, δειλαία χάρις,
ἐπεμπετο.

Sequitur alius locus, vehementer corruptus, v. 523.

ΧΟΡΟΣ

τεκεῖν δράκοντ' ἔδοξεν, ὡς αὐτὴ λέγει.

ΟΡΕΣΤΗΣ

καὶ πῆ τελευτᾷ καὶ καρανοῦται λόγος;

ΧΟΡΟΣ

ἐν σπαργάνοισι παιδὸς ὁρμίσαι δίκην
τινὸς βορᾶς χρῄζοντα, νεογενὲς δάκος,
αὐτὴ προσέσχε μαζὸν ἔν τ' ὀνείρατι.

Postremis versibus nihil inconcinnius reperiri potest. Scribe:

ὃν σπαργάνοισι παιδὸς ὁρμῆσαι δίκην
τινὸς βορᾶς χρῄζοντα, νεογενὲς δάκος,
αὐτὴ προσέσχε μαζὸν ἔν γ' ὀνείρατι.

Verba sic iungenda, ὃν χρῄζοντα ὁρμῆσαι βορᾶς τινός, deinde mutata constructione addit reliqua. Ita Homerus Od. I. 275.

μητέρα δ', εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι,
ἂψ ἴτω.

Et alii fcriptores faepe.

Sequitur deinde canticum chori, vehementer corruptum, in quo corrigendo quum paullo audacius egiffe nobis videatur Schützius, operam dabimus, vt leniore medicina iftas librariorum fordes remoueamus. Ac primam quidem ftropham atque antiftropham ita fcribendam arbitror.

Stropha

πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει
δεινὰ δειμάτων ἄγη,
πόντιαι τ' ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖς
πλάθουσι, βλαστοῦσι καὶ πεδαιχμίω
λαμπάδες πεδάοροι,
πτᾶνά δὲ καὶ πεδοβάμονα κἀνεμόεντα
αἰγίδων φράσαι κότον.

Antiftropha

ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀν-
δρὸς φρόνημα τίς λέγοι,

καὶ γυναικῶν φύσιν τλαμόνων,
καὶ παντοτόλμους
ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν;
συζύγους δ' ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

In his δειμάτων ἄχη, quod fcholiaftes periphraftice pro δείματα dictum putat, non fatis aptum videtur. Ἄγη vero proprie id eft, quod quis ftupet et a quo prae metu refugit. Deinde pro μεταίχμιοι fcripfi μεταιχμίῳ, quod etiam fic fimpliciter de interuallo inter caelum et terram dici potuit. Sic in Homerico hymno Apollinis v. 107.

αὐτὰρ ἐπεὶ τόγ' ἄκουσε ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις,
βῆ ῥα θέειν, ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ.

Tum illud quoque, φρόνημα γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων, non fatis eleganter dictum eft. Itaque φύσιν ab Aefchylo fcriptum puto. Caeterum συζύγους miror non pridem pro ξυζύγους fcriptum effe, qui minime Atticus Atticifmus eft.

Quae fequitur ftropha atque antiftropha multo integrior eft, in qua ne quis fecundi ver-

ſus metrum laborare putet, monendum duco, eum e dochmio et antiſpaſto compoſitum eſſe. At verſu 613. quis explicauerit, qui ſint *χρυσεόδμητοι ὅρμοι*? Scribe,

> *χρυσεοκμήτοισιν ὅρμοις*,

pro *χρυσοκμήτοις*, vt *χαλκεότευκτος* apud Euripidem in Medea 983. Denique v. 617. quantumuis elegans ſit lectio Turnebi, quam Schützius recepit,

> *πνείοντ᾽. ἀγανόφρον᾽ ὕπνῳ*

tamen neque eliſio datiui, neque omnino numerus verborum gratus et politus ad aures accidit. Itaque probo lectionem alteram,

> *πνείονθ᾽ ἁ κυνόφρων ὕπνῳ.*

In ſtrophico autem, 607. pro *διὰ* more Aeſchyli *διαὶ* ſcribendum, quod etiam infra v. 637. reponi debet.

Stropham, quae ſequitur v. 619. leniſſima mutatione ita corrigendam puto:

> *ἐπεὶ δ᾽ ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων*
> *πόνων, ἀκαίρως δὴ δυσφιλὲς*

γαμήλευμ' ἀπεύχετον δόμοις,
γυναικοβούλους τε μητίδας φρενῶν
ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ,
ἐπ' ἀνδρὶ δάοισιν ἐπικότῳ σεβῶ·
στυγῶ δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων
γυναικείαν τ' ἄτολμον αἰχμάν.

Quum tam atrocium calamitatum meminerim, inquit, intempeſtiue profecto probaturus ſim coniugium Clytaemneſtrae et inſidias Agamemnoni paratas. Deteſtor vero impiam domum, et ſcelerosum mulieris telum. E verbis σεβῶ στυγῶ facili aberratione factum erat σεβαςτοιων. Opponuntur autem σέβειν et στυγεῖν, vt apud Sophoclem in Oed. Col. σέβεσθαι et ἀποστυγεῖν. Sed ille Sophoclis locus corruptiſſimus eſt: quo minus grauabor, data opportunitate, eum emendatiorem exhibere. Verſus antiſtrophici ſunt, inde a v. 178.

S t r o p h a

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

Προβῶ;

ΧΟΡΟΣ

ἐπίβαινε πρόσσω.

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

ἔτι;

ΧΟΡΟΣ

προβίβαζε, κούρα,

πρόσω. σὺ γὰρ ἀΐεις.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ἕπεο μὰν, ἕπε' ὧδ' ἀμαυρῷ,

ἰώ μοί μοι,

κώλῳ, πάτερ, ᾇ σ' ἄγω

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

τόλμα, ξεῖνος ἐπὶ ξένης

ὦ τλάμων, ὅ τι καὶ πόλις

τέτροφεν ἄφιλον, ἀποστυγεῖν,

καὶ τὸ φίλον σέβεσθαι.

Anapaesti

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

ἄγε νῦν σύ με παῖ, ἵν' ἂν εὐσεβίας

ἐπιβαίνοντες τὸ μὲν εἴπωμεν,

τὸ δ' ἀκούσωμεν,

καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν.

ΧΟΡΟΣ

αὐτοῦ· μηκέτι τοῦδ' ἀντιπέτρου
βήματος ἔξω πόδα κλίνῃς.

Antiſtropha

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

οὕτως;

ΧΟΡΟΣ

ἅλις, ὡς ἀκούεις.

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

ἦ στῶ;

ΧΟΡΟΣ

λέχριός γ' ἐπ' ἄκρου
λάου βραχὺς ὀκλάσας.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

πάτερ, ἐμὸν τόδ', ἐν ἀσυχαίᾳ,
ἰώ μοί μοι,
βάσει βάσιν ἁρμόσαι.
γεραιὸν ἐς χέρα σῶμα σὸν
πρόκλινον φιλίαν ἐμάν.

ΟΙΔΙΠΟΥΣ

ὤ μοι δύςφρονος ἄτας.

ΧΟΡΟΣ

ὦ τλάμων, ὅτε νῦν χαλᾷς,
αὔδατον, τίς ἔφυς βροτῶν,
τίς ὢν πολύπονος ἄγῃ, τίν' ἂν
σοῦ πατρίδ' ἐκπυθοίμαν.

Caeterum in Aeſchyleo carmine ſecundus verſus e dochmio conſtat et antiſpaſto, vt antiſtrophicus,

λόγῳ· γοᾶται δὲ δήπουθεν.

Reliqua pars antiſtrophae, quam praeclare emendauit Schützius, facile ad ſtrophae deſcriptionem accommodari poterit.

Denique in poſtrema parte huius cantici v. 635. haec leguntur:

τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς σοῦται
διὰ δίκας.
τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ
λὰξ πέδον πατούμενον.

In his postrema verba non aliter possunt intelligi, nisi si interrogationem continent: qua mihi quidem vis huius sententiae et grauitas haud parum imminui videtur. Neque vero assentior Schützio, qui subtiliter quidem, sed audacius tamen, maxime vt metro satisfaceret, βίᾳ pro διὰ, et ὁρῶ pro οὐ reponendum putat. Ac metrum quod attinet, versus 637. et 638. in vnum coniuncti,

διὰ δίκας· τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ,

congruunt quidem cum antistrophicis,

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δώμασιν.

si hic versus e dochmio atque antispasto constat. Verum non satis eleganter posteriores syllabae verbi ἐπεισφέρει inter thesin atque anacrusin distrahuntur, de qua re dictum est ad Pindarum. Quare, quum tritissimam formulam, διὰ δίκας, non putem mutandam esse, de more Aeschyli διαὶ scribendum censeo, delendumque illud οὐ, vt grauissimae sententiae sua vis et virtus reddatur, hoc modo,

διαὶ δίκας. τὸ μὴ θέμις γὰρ
λὰξ πέδον πατούμενον.

Quorum versuum prior ex antispasto est et dochmio, numeris non minus elegantibus, quam antistrophici, quos lectio librorum δωμάτων ita scribendos docet:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δώμασιν
δ' αἱμάτων παλαιτέρων
τίνει μύσος
χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐριννύς.

V. 641. pro ἀθεμίστως scribendum οὐ θεμίστως.

V. 653.

εἶεν· ἀκούω. ποδαπὸς ὁ ξένος; πόθεν.

Laborat metrum huius versus, quod absit vt interposito fulcro γὲ corrigendum putemus. Nam frequentissime εἶεν, nusquam, si recte memini, εἶέν γε dicitur. At saepe εἶεν extra versum collocatur, vt apud Euripidem in Medea 386. in Iphig. Aul. 1185. in Iph. Taur. 467. in Troad. 945. in Ione 275. Ita hic quoque haud dubie. Vnde imperiti, qui metro consulere vellent, omisere initium trimetri. Scribe:

εἶεν.
καὶ μὴν ἀκούω. ποδαπὸς ὁ ξένος; πόθεν.

V. 659.

> ἐξελθέτω τις δωμάτων τελεσφόρος
> γυνή, τόπαρχος.

In his merito vocabulum τόπαρχος suspectum est Schützio. Veram lectionem monstrat Robortellus, qui τἄπαρχος habet. Scribendum enim,

> ἐξελθέτω τις δωμάτων τελεσφόρος,
> γυνή τ' ἔπαρχος.

Ἔπαρχος enim, notissimum vocabulum, praefectum significat. Aeschylus Persis v. 324.

> Συέννεσίς τε πρῶτος εἰς εὐψυχίαν,
> Κιλίκων ἔπαρχος.

vbi vulgo ἄπαρχος legitur.

V. 692.

> Καὶ νῦν Ὀρέστης, ἦν γὰρ εὐβούλως ἔχων,
> ἔξω κομίζων ὀλεθρίου βηλοῦ πόδα,
> νῦν δ', ἥπερ ἐν δόμοισι βακχείας καλῆς
> ἰατρὸς ἐλπὶς ἦν, παροῦσαν ἐγγράφει.

In hoc loco praeclare factum, quod Schützius βηλοῦ reposuit, et καλῆς defendit. De vltimi autem versus emendatione aliter equidem sentio,

quam caeteri omnes, quorum audaciores, quam opus erat, mihi videntur correctiones eſſe. Quin miror neminem in tertio verſu offendiſſe, in quo vt repetitum *νῦν* ferri poſſit, non poterit certe *νῦν δέ*. Quare leni mutatione locum ita refingendum arbitror:

> καὶ νῦν Ὀρέστης· (ἦν γὰρ εὐβούλως ἔχων,
> ἔξω κομίζων ὀλεθρίου βηλοῦ πόδα)
> σὺν δ', ἥπερ ἐν δόμοισι βακχείας καλῆς
> ἰατρὸς ἐλπὶς ἦν, παροῦσ' ἀνεγράφη.

Oreſtes, inquit, et vna cum illo ſpes medica malorum in praeteritis numerantur. De anapaeſto non eſt, quod quisquam in Aeſchylo vereatur.

V. 722.

> Νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθὼ δολία
> ξυγκαταβῆναι, χθόνιον δ' Ἑρμῆν
> καὶ τὸν νύχιον τοῖσδ' ἐφοδεῦσαι
> ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.

Hic Schützius e Pauwii coniectura *δολίαν* repoſuit: quod equidem vehementer dubito, an non fuerit faciendum. Miror enim, quod *ἐφοδεῦσαι* hic datiuo iunctum eſt, quod accuſatiuo iungi

folet. Quo adducor vt hoc verbum hic non vulgata fignificatione *accedendi*, fed actiuo fignificatu *immittendi* dictum putem. In qua re fi non fallor, ἐφοδεῦσαι non pendebit ex ἀκμάζει, fed e πειθώ, et librorum lectio falua manebit. Tempus eft, inquit, vt fuada fraudulens accedat, et Mercurium funeftis certaminibus immittat.

V. 743. haec dicit nutrix:

> ἀλλ' οὔτι πω τοιόνδε πῆμ' ἀνεσχόμην·
> τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τλημόνως ἤντλουν κακά·
> φίλον δ' Ὀρέστην, τῆς ἐμῆς ψυχῆς τριβήν,
> ὃν ἐξέθρεψα μητρόθεν δεδεγμένη
> καὶ νυκτιπλάγκτων ὀρθίων κελευσμάτων
> καὶ πολλὰ καὶ μοχθήρ' ἀνωφέλητ' ἐμοὶ
> τλάσῃ.

Quae quum nullo pacto cohaereant, putat Schützius aliquot verfus excidiffe poft hunc,

> ὃν ἐξέθρεψα μητρόθεν δεδεγμένη.

Quod ita fi eft, nullam rationem equidem comminifci poffum, qua ea, quae fequuntur, quidquid exciderit, coniungi queant. Quare, fi quid excidit, id putem excidiffe poft hunc ver-

ſum, in quo plane Aeſchyleam lectionem ſeruavit Turnebus,

καὶ νυκτίπλαγκτον ὀρθίων κελευσμάτων.

Vt apud Pindarum Olymp. III. 21. ἀτρεκὴς γλεφάρων Ἑλλανοδίκας. Quamquam omnino vereor, ne locus non ſit mutilus. Etenim omnis difficultas euaneſcit, ſi ἔτλην ſcribatur pro τλάσῃ, quod vel ſcripturae vitio, vel e ſcholio naſci potuit. Certe litteras initiales verſuum ſaepe excidiſſe conſtat, vt v. 734. Itaque neſcio an locus ita refingendus ſit:

τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τλημόνως ἤντλουν κακά·
φίλον δ' Ὀρέστην, τῆς ἐμῆς ψυχῆς τριβήν,
ὃν ἐξέθρεψα μητρόθεν δεδεγμένη,
καὶ νυκτίπλαγκτον ὀρθίων κελευσμάτων,
καὶ πολλὰ καὶ μοχθήρ', ἀνωφέλητ' ἐμοί,
ἔτλην.

In quibus omiſſum verbum ad φίλον δ' Ὀρέστην, vt in ſummo dolore, egregiam vim habet. Simillima ſunt, quae Phoenix dicit Iliad. IX. 490.

πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα
οἴνου, ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.
ὣς ἐπὶ σοὶ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα.

CAP. IX.

Continuantur obſeruationes in Choephoros inde a v. 779. vsque ad 931. Correctus Euripides in Andromacha.

Longe omnium corruptiſſimum illud eſt chori canticum, quod inde a v. 779. legitur. In quo hoc magis neſcias quo te vertas, quod, quum ſingula verba ſana videantur, tamen, ſi ea coniuncta ſpectes, ſenſu deſtituta ſunt. Atque ipſa metri ratio adeo obſcura eſt, tantisque implicita difficultatibus, vt, quae antiſtrophica ſint, quae non ſint, vix intelligas. Nam id quidem quiuis facile coniiciat, tam longum carmen, cuius pars aliqua antiſtrophica ſit, non tam temere confectum fuiſſe, vt ſtropham pauci verſus monoſtrophici, eosque deinde antiſtropha, et hanc denique iterum ingens monoſtrophicorum verſuum numerus ſequeretur. Qua metri peruerſitate quum adductus eſſem, vt nullam perueſtigationis moleſtiam timerem, viſus mihi denique ſum cum metri norma ſimul emendandi viam reperiſſe. In quibus rebus exponendis ne

diutius, quam necesse est, morer, locum ita, vti corrigendum puto, adscribam.

Stropha I

Νῦν παραιτουμένῃ μοι, πάτερ
780 Ζεῦ θεῶν Ὀλυμπίων,
δὸς τυχεῖν, ὥστ' ἔχειν κυρίως
τὰ σώφρον' εὖ μαιομένοις ἰδεῖν.
διὰ δίκας πᾶν ἔπος
ἔλακον· Ζεῦ, σὺ δέ νιν φυλάσσοις.

Stropha II

785 ἒ ἒ, πρὸ δ' ἐχθρῶν τῶν ἔσω
μελάθρων, ὦ Ζεῦ, θές,
ἐπεί μιν μέγαν ἄρας· δίδυμα καὶ
τριπλᾶ παλίμποινα θέλων ἀμείψει.

Antistropha I

Ἴσχε δ' ἀνδρὸς φίλου πῶλον εὖ-
790 νιν ζυγέντ' ἐν ἅρματι
πημάτων, ἐν δρόμῳ προστιθεὶς
μέτρον, τίν' ἂν σωζόμενον ῥυθμὸν
τοῦτ' ἰδεῖν δάπεδον,
ἀνομένων πημάτων ὄρεγμα.

Stropha III

795 οἵ τ' ἔσω δωμάτων
πλουτογαθῆ μύχον κομίζετε,
κλύετε σύμφρονες θεοί.
ἄγετε, τῶν πάλαι πεπραγμένων
λύσασθ' αἷμα προσφάτοις δίκαις.
800 γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι.

Antiſtropha II

ὦ μέγα ναίων στόμιον, εὖ δὸς
κρατεῖν δόμων ἀνδρός,
καί νιν ἐλευθερίως λαμπρῶς τ' ἰδεῖν
φίλοις ὄμμασι δνοφερὰς καλύπτρας.

Antiſtropha III

805 ξυλλάβοι δ' ἐνδίκως
παῖς ὁ Μαίας ἐπιφθορώτατος
πρᾶξιν οὐρίαν θέλων.
ἄκριτον, ἄσκοπον δ' ἔπος λέγων
νύκτα πρό τ' ὀμμάτων σκότον φέρεις·
810 καθ' ἡμέραν δ' οὐδὲν ἐμφανέστερον.

Epodus

καὶ τότε δὴ πλοῦτον
δωμάτων λυτήριον
θῆλυν οὐριοστάταν,
ὁμοῦ δὲ κρεκτὸν γοήτων νόμον
815 μεθήσομεν πόλει.

Stropha

τὰ δ' εὖ, ἐμόν, ἐμόν
κέρδος αὔξεται τόδ', ἄ-
τα δ' ἀποστατεῖ φίλων.
σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ
820 μέρος ἔργων, ἐπαΰσας
θροούσᾳ πρός σε, τέκνον, πατρὸς
αὐδᾷ, πέρανον ἐπίμομφον ἄταν.

Antistropha

τὰν Περσέως τ' ἐ-
νὶ φρεσὶ καρδίαν σχέθων
825 τοῖς δ' ὑπὸ χθονὸς φίλοις,
τοῖσί τ' ἄνωθεν προπράσσων
χάριτας ὀργᾶς λυπρᾶς, ἔν-
δοθεν φοινίαν ἄταν τιθείς,
τὸν αἴτιον δ' ἐξαπολλὺς μόρου.

Iam vt rationes reddam eorum, quae in hoc loco mutaui, in prima ſtropha verba δὸς τύχας τυχεῖν quaſi manu ducunt ad id, quod repoſui, accedente etiam antiſtrophici verſus auctoritate. Verba ſic iungenda: ὥςτε κυρίως ἔχειν εὖ μαιομένοις ἰδεῖν τὰ σώφρονα. Sententia autem chori haec eſt: precanti mihi, Iuppiter, da votis potiri, vt recte procedant res eorum, qui honeſta cupiunt, id eſt, conſilia Oreſtis. In iis, quae ſequuntur, διὰ δίκας ſcribendum eſſe, quum metrum docet, tum res ipſa efflagitat. Nam quid hoc ſibi vult, ἔλακον, Ζεῦ, niſi, quid dixerit, et quomodo, addatur? Deinde Ζεῦ ad ſequentia referendum erat, quo maior vis precibus accederet. Eſt autem vltimus primae ſtrophae verſus antiſpaſticus dimeter.

In ſecunda ſtropha verba ἐπεί μιν μέγαν ἄρας ad ſuperiora referri debent. Non enim triplicem et quadruplicem vindictam ſumpturus eſt Oreſtes, quoniam adoleuit, ſed, quandoquidem adoleuerit, optat chorus, ne fruſtra ad hanc aetatem peruenerit, ſed vt vincat Aegiſthum et Clytaemneſtram. Primus huius ſtrophae verſus antiſpaſticus dimeter eſt; ſecundus ex iambo et antiſpaſto; tertius ex iambo, cho-

riambo et diiambo; quartus aſynartetus e duobus dochmiacis.

In prima antiſtropha recte Pauwius ἴσχε pro ἴσθι, quod hic non eſt aptum. Serua, inquit, hunc iuuenem, et inhibe curſum calamitatum, vt quis has aedes, finem miſeriae deſiderantes, modum ſeruare videat. Similiter ſupra v. 366.

θανατηφόρον αἶσαν
πρόσω τινὰ πυνθάνεσθαι
τῶνδε πόνων ἄπειρον.

Caeterum δάπεδον primam longam habet, vt ſaepius v. c. Prom. 835.

Mox v. 796. κομίζετε pro νομίζετε ſcribendum puto. Vereor enim, vt νομίζειν aptum hic vocabulum ſit, de quo v. Stanl. ad v. 999. Κομίζειν quidem in hac re tritiſſimum.

Poſt v. 800.

γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι,

haec legebantur, τόδε καλῶς κτάμενον, quae quocumque modo ſcripta olim fuerint, non dubito quin interpretis ſint, non Aeſchyli, verba. Nam et praeter ſtrophae circuitum adiecta ſunt, et

quare addita fuerint, facile intelligitur. Nam quum modo chorus dixiſſet puniendos eſſe parricidas, ac deinde optaſſet, ne vetus caedium conſuetudo alias caedes in poſterum pareret, adnotandum duxerunt interpretes, id non de futura Clytaemneſtrae et Aegiſthi nece intelligendum eſſe, ſed chorum precari, ne, his occiſis, alia deinceps caedes genus Oreſtis contaminet.

In ſecunda antiſtropha v. 802. quid poteſt eſſe putidius vulgata lectione *δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρός, καί νιν ἐλευθερίως λαμπρῶς τ' ἰδεῖν φιλίοις ὄμμασι δνοφερᾶς καλύπτρας.* Scholiaſtes, *ἀνιδεῖν, ἀναβλέψαι*: ſed huius nulla auctoritas eſt, qui libris vſus ſit iam penitus deprauatis. Itaque *κρατεῖν δόμων* reponendum duxi, quod maxime hic requirebatur.

Mox *ἐπιφορώτατος* mutandum putaui in *ἐπιφθορώτατος*. Eadem corruptio etiam alibi obvia. Sic in Eumen. 368. *ἐπιφόνοις* recte ab Heathio in *ἐπιφθόνοις* mutatum: atque in Pindaro Pyth. VI. 13. *πολυφθόρῳ* reponendum oſtendimus e ſcholiis, in quibus eſt *πολυφόρῳ*.

Statim haec ſequebantur, *πολλὰ δ' ἄλλα φανεῖ χρηΐζων κρυπτά*, quibus nihil fingi poteſt in-

eptius. Nam quae ſunt illa πολλὰ ἄλλα? aut quo referuntur? Tum ſi quis in his verbis ſenſus ineſt, is certe et idem et multo ornatior in iis eſt, quae ſequuntur. Ad haec metrum accedit, in quo verbis iſtis nullus locus relictus eſt. Quare non dubium eſt, quin haec adnotatio ſit librarii cuiuspiam, quibus ille ea, quae ſequuntur, explicare volebat. Sed quaerere licet, vnde ille ſuum πολλὰ hauſerit. Atque ea, quae ſequuntur, ἄσκοπον δ' ἔπος λέγων, verſum non implent, quem ſtropha deſcribit. Vnde quod initio excidit, partim e ſcholio iſto, partim e praecedentis verbi κρυπτὰ ſimilitudine reſtituendum puto, ἄκριτον. Id hic ſignificat rem obſcuram, interpres autem ille, cuius adnotationem indicauimus, ea hoc vocabulum ſignificatione accipiebat, quae tritiſſima eſt, vt ἄκριτος *multus* ſit. Caeterum de ſenſu horum verborum omnino aſſentior Schützio: cuius quidem elegantiſſima explicatio ſic demum omni dubitatione eximi videtur, ſi v 809. ſcribatur φέρεις. Congruum enim eſt, vt, ſi Mercurius in parenth. theſi commemoratur, in eadem deinde perſona chorus perſeueret, qua ante de Apolline loquutus erat.

In ea ſtropha, quae epodum ſequitur, Schützius v. 820. pro ἐπαΰσας repoſuit ἐπαΐσας, quod participium equidem nusquam legere me memini. At recte ſe habet et ἐπαΰσας et θροοῦσα, dum deinde αὐδᾷ ſcribatur. Tum etiam pro περαίνων imperatiuus πέραινον reſtitui debebat. Acclamans, inquit, adhortanti te patris voci, perage caedem. Ita leuiſſima mutatione facta locus omni difficultate liberatur. Verſus autem huius ſtrophae quartus et quintus antiſpaſtici ſunt dimetri catalectici, ſextus e dochmio eſt et antiſpaſto, vltimus aſynartetus e duobus dochmiacis.

Quae ſequitur ſcena, in ea v. 846. haec non poſſunt intelligi,

> οὐδὲν ἀγγέλων σθένος
> ὡς αὐτὸς αὐτῶν ἄνδρα πεύθεσθαι πέρι.

Ac Schützius quidem αὐτὸς in αὐτὸν mutauit, vt hic eſſet horum verborum ſenſus: *profecto non tantum valet nuncii relatio, quantum ſi dominus ipſe de his rebus ſciſcitetur et inquirat.* Quam interpretationem vellem aliis locis confirmaſſet, in quibus ſimilis occurreret vſus verborum οὐδὲν

σθένος ὡς. De quo quum vehementer dubitem, ita exiſtimo locum corrigendum eſſe:

οὐδὲν ἀγγέλων σθένος,
ὡς αὐτὸς αὐτῶν ἄνδρα πεύθεσθαι παρεῖ.

Non vſus eſt nunciis, inquit, quum ipſe adſis, vt hoſpitem de rebus illis interroges.

V. 856.

Νῦν γὰρ μέλλουσι μιανθεῖσαι
πειραὶ κοπάνων ἀνδροδαΐκτων
ἢ πάνυ θήσειν Ἀγαμεμνονίων
οἴκων ὄλεθρον διὰ παντός,
ἢ πῦρ καὶ φῶς ἐπ' ἐλευθερίᾳ
δαΐων, ἀρχάς τε πολισσονόμους.
ἕξει πατέρων μέγαν ὄλβον,
τοιάνδε πάλην μόνος ὢν ἔφεδρος
δισσοῖς μέλλει θεῖος Ὀρέστης
ἅψειν.

In his quis non ſentiat, duram eſſe et inconcinnam orationem, ſi verba ἕξει πατέρων μέγαν ὄλβον, a ſuperioribus diuulſa, ad ſequentia trahuntur, et intelliguntur de Oreſte. Accedit, quod plane praeter morem ſuperior ſententia

dimetro acatalectico finitur, noua autem paroemiaco incipit. Si tamen ſententiae ita disiunctae ſunt, certe paroemiacus euitari poterat recipienda lectione Turnebi, quam non notauit Schützius,

ἕξει πατρῷον μέγαν ὄλβον.

Sed non dubium, quin e Porſoni ſententia legendum ſit,

ἢ πῦρ καὶ φῶς ἐπ' ἐλευθερίᾳ
δαίων ἀρχαῖς τε πολισσονόμοις,
ἕξει πατέρων μέγαν ὄλβον.

Aut Oreſtes, inquit, igne propter libertatem et recuperatum imperium accenſo, paternis opibus potietur. Ac neſcio, an ſit verius πατρῷον, media correpta, vt ſaepius.

V. 877. De hoc verſu disputatum a nobis eſt ad Pindari Olymp. III.

V. 925. haec matri dicit Oreſtes:

πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδε σ' ὁρίζει μόρον.

In quo verſu quas emendationes tentarunt critici, earum optima eſt Arnaldi, quae Schützio quoque placet, τόνδ' ὁρίζει σοι μόρον. Verum

nec *σοὶ*, in quo nulla hic vis eſt, in quinta arſi collocatum elegans eſt, neque omnino ſermo ſatis poeticus videtur. Deinde etiam ſatis erat, *σοὶ μόρον ὁρίζει* dixiſſe, quibus *τόνδε* additum languet: aut ſi *τόνδε* dicere vellet, omittendum erat *σοί*. Nam *τόνδε μόρον* quum dicit, id ipſum intelligit, Clytaemneſtrae mortem. Quare ſcribendum exiſtimo:

πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδ' ἐπουρίζει μόρον.

Euripides Andromacha 611.

ἀλλ' οὐδὲ ταύτῃ σὸν φρόνημ' ἐπούρισας.

In quo verſu *οὐδὲ* eſt, non *οὔτε* ſcribendum.

Satis languida ſunt, quae chorus dicit v. 929.

ἐπεὶ δὲ πολλῶν αἱμάτων ἐπήκρισεν
τλήμων Ὀρέστης, τοῦθ' ὅμως αἱρούμεθα,
ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν.

Nam primum *ὅμως*, quocunque modo locum explices, vehementer friget. Deinde *αἱρούμεθα* magnopere vereor, vt, quod Schützius vult, ſignificare poſſit *laetae accipimus*. Id enim *eligere* eſt, neque de iis dici poteſt, quae e fato et for-

tuna pendent, ſed de iis, quae ſunt in voluntate cuiusque atque arbitrio poſita. Sed vt habeat hoc vocabulum ſignificationem iſtam, quae Schützio placet, nihil hic profecto eſt, quod chorus laeto animo accipere poſſit. Accipiuntur enim praesentia atque explorata, non futura, et ea, quae ſint an non ſint, incertum eſt. Atqui de incolumitate Oreſtis nondum conſtat, ſed ea exoptanda potius eſt, quam in iis rebus numeranda, de quibus laetari iam liceat. Itaque ſcribendum puto:

> *ἐπεὶ δὲ πολλῶν αἱμάτων ἐπήκρισεν*
> *τλήμων Ὀρέστης, τοῦθ᾿ ὁμῶς ἀρώμεθα,*
> *ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν.*

Tot caedibus ſuperatis, inquit, illud ſimul precamur, vt ſaluus ſit ac ſuperſtes Oreſtes.

CAP. X.

Continuantur obseruationes in Choephoros inde a v. 936. vsque ad finem fabulae. Verborum eorumdem iterationes in eodem stroph_arum loco.

In eo, quod sequitur, chori carmine v. 936. non dubito, quin recte Pauwius e scholiis reponendum censuerit,

> ἔλασε δ' ἐς τὸ πᾶν
> ὁ Πυθοχρήστας φυγάς.

Id est, ad summam rerum et finem peruenit. Reliqua autem, interpunctione maiore post φυγὰς collocata, sic scribenda:

> θεοῦ δὲ φραδαῖσιν ὡρμημένος
> ἐπολολυξάτω δεσποσύνων δόμων
> ἀναφυγὰς κακῶν, καὶ κτεάνων τριβᾶς
> ὑπαὶ δυοῖν μιαστόροιν
> δυσοίμου τύχας.

Quorum versuum quartus antispasticus dimeter est. In antistropha autem v. 945. recte Pauwius ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ χερός. Deinde ἐν ἐχθροῖς

contrarium eſt iis, quae hic dicenda erant. Quae vero inde a v. 951. ſequuntur, μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπ' ὄχθει ἄξεν· ἀδόλως δολίαν βλαπτομέναν ἐν χρόνοις θεῖσαν ἐποίχεται, in iis primum ἐπ' ὄχθει nihil eſt. Nec dubium, quin vocabulum ὄχθει e praecedente χθονὸς natum ſit. Immo ſimpliciter Delphi μυχὸς χθονός. Pindarus Pyth. V. 91. μυχόν τ' ἀμφέπει μαντήϊον. X. 13. ὁ Παρνάσιος μυχός. Eurip. Oreſt. 331.

ἵνα μεσόμφαλοι λέγονται μυχοί.

Similiter Pindarus Pyth. VIII. 90. Πυθῶνος ἐν γυάλοις. et Aeſchylus ſupra v. 803. ὦ μέγα ναίων στόμιον. Reliqua Aeſchyli verba plane corrupta ſunt, vt paullo maiore, ſed ea non improbabili audacia vtendum ſit.

Totum locum ita ſcribendum arbitror:

ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ χερὸς ἐτήτυμος
Διὸς κόρα, (Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν
βροτοὶ τυχόντες καλῶς)
ὀλέθριον πνέουσ' ἐπ' ἐχθροῖς κότον·
τάνπερ ὁ Λοξίας, ὁ Παρνάσιος,

μέγαν ἔχων μυχὸν χθονός, ἐπαξίως
δόλια βλαπτομέναν χρονι-
σθεῖσαν ἐποίχεται.

Manum, inquit, Oreſtis adiuuit in pugna Iuſtitia, funeſtum inſpirans in inimicos odium, quippe hanc Apollo ſero tandem dignis captam poenis conſequitur. Scholiaſtae auctoritas, τάπερ legentis, nulla eſt, qui libris vſus ſit corruptiſſimis. Itaque τάνπερ reponendum erat, quod refertur ad ἐχθρούς, quos generatim dixerat. Clytaemneſtra χρονισθεῖσα, ſero ſatis, δόλια βλαπτομένα dicitur, quod clam reuerſus Oreſtes quum Aegiſthum, cuius illa maxime auxilio confidebat, trucidaſſet, ipſam deinde inermem necat. Sic ipſa ſupra dicit Clytaemneſtra v. 885.

δόλοις ὀλούμεθ' ὥςπερ οὖν ἐκτείναμεν.

Reliqua huius carminis pars male hucusque pro epodo habita fuit. Verſus enim antiſtrophici ſunt, ex quo magnum ad emendationem adiumentum accedit. Videbimus ſingula. Ac primum v. 958. vulgo legitur μέγαν τ' ἀφηρέθην ψάλιον οἴκων, pro qua lectione Schützius e Pauwii ſententia elegantius, quam verius,

reposuit, μέγαν δ' ἀφῃρέθην ψάλιον οἴκων. At μέγαν metro repugnat, quod μέγα scribi postulat. Tum quare Schützio ψάλιον hic ineptum videatur, non intelligo. Immo cum quanam re melius comparari Orestes poterat, quam cum freno, quo cohibenda esset Clytaemnestrae atque Aegisthi temeritas? Id frenum ademptum sibi chorus, et deinde redditum dicit, posteaquam satis diu neglectum iacuerit. Quae his verbis continentur: ἄναγε μὰν δόμοις, πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετῆ σε κεῖσθ' ἀεί. Ita quidem vulgo, non, vt in Schützii editione notatum, χαμαιπετεῖ. Haec verba quum essent corruptissima, Pauwius scribendum existimauit, ἄναγε μὰν δόμοις, πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετὴς ἔκειτ' ἀεί, idque Schützio quoque placuit. Verum nec satis clara sunt in vulgata lectione Pauwianae correctionis vestigia, nec metro illa conuenit, neque omnino ab elegantia commendabilis est. Nam non modo illud ἔκειτο, nulla copula addita, inconcinnam reddit orationem, sed multo deterius etiam vocabulum ἀεί est. Nam hoc ἀεί nihil certe aliud significare potest, quam perpetuo abfuisse Orestem per illud tempus, quo aberat. Quo nihil fingi potest ineptius, siquidem supra ψάλιον recte se habet.

Nam in Schützii lectione, ἄλιον, vitio caret illud ἀεί. Porro v. 962. vulgo legebatur: τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται πρόθυρα δωμάτων, hoc fenfu, mox tempus domum hanc commutabit. Quae lectio quum nec quod ad fenfum attinet, nec propter metrum reprehendi poffe videatur, non fatis affequor Schützii mentem, qui δὲ et χρόνος deleuit. Quae deinde fequuntur, corruptiffima funt, in quibus de eo maxime dubito, an verba τὸ πᾶν ἰδεῖν ἀκοῦσαι θρεομένοις non poffint, quemadmodum Schützio vifum eft, fignificare eos, qui fe omnia mala vidiffe et audiuiffe querantur. Denique vltima, παρὰ τὸ φῶς ἰδεῖν, repetitionem continent plane a more Aefchyli alienam. Nam fi quae funt in eo repetitiones eorumdem verborum, eae et vim habent eximiam, et fic adhibentur, vt in eumdem antiftrophae locum incidant, quem in ftropha tenuerunt. Sic in Eumenid. 324. feqq. et 337. feqq. et in Septem c. Th. 977. et 989. de quo loco dixi lib. III. de metris p. 425. Quae hic omnia abfunt. Totum igitur locum ita refingendum effe arbitror:

S t r o p h a

955 Κρατεῖταί πως τὸ θεῖον παρὰ τὸ μὴ ὑπουργεῖν κακοῖς.

ἄξια δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν.
πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν· μέγα δ' ἀφῃρέθην
ψάλιον οἴκων.
960 ἄναγε μὰν δόμοις, πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετὴς ἐπεὶ κεῖσθ' ἀνέτλη.

Antiſtropha

τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται
πρόθυρα δωμάτων,
ὅταν ἀφ' ἑστίας μύσος ἅπαν ἐλάσῃ
965 καθαρμοῖσιν ἀτᾶν ἐλατηρίοις.
τάχα δ' εὐπροσώ-
πῳ κοίτᾳ τὸ πᾶν ἰδεῖν θρεομένοις
μέτοικοι δόμων πεσοῦνται πάλιν.

In his primum v. 957. ἄξια ſcripſi pro ἄξιον, quae formae ſaepius ab librariis permutatae reperiuntur. Ita in Pindaro Schmidius Olymp. VII. 83. recte emendauit ἀτέκμαρτα pro ἀτέκμαρτον. Eodem modo Nem. III. 80. ἴσα τε pro ἴσον τε reponendum erat. In vltimo ſtrophae verſu preſſius ſequuti ſumus librorum veſtigia. Nam αἰεὶ in ἀνέτλη mutatum probabilitatem e ſequentis vocabuli τάχα primis litteris habet. Deinde v. 964. ἅπαν ſcripſi, vt vltima corripe-

retur: quamquam etiam πὰν breue occurrit. Denique v. 966. pro τύχα ſcribendum eſſe τάχα et metrum oſtendit, et, quod ſequitur, πεσοῦνται: nam μέτοικοι δόμων quin verum ſit, hoc minus dubitari poteſt, quod etiam ſcholiaſtes ita legit, cuius haec verba ſunt, οἱ νῦν τοὺς δόμους οἰκοῦντες πεσοῦνται εἰς τὸ ἔμπαλιν τῆς πρώτης τύχης. Senſus autem verborum hic eſt: mox felici omnibus numeris ſorte conſpiciendi domini reddentur querentibus, id eſt, iis qui praeſentes ac praeteritas calamitates deplorant. Verbum ἀκοῦσαι enim eiiciendum eſſe, non modo metrum, ſed res ipſa etiam docet. Natum illud ex adnotatione erat eorum, qui ἰδεῖν θρεομένοις iungebant, tamquam ſi ſcripſiſſet Aeſchylus θρεομένων, idque interpretabantur ἀκοῦσαι θρεομένων. Eius interpretationis veſtigia ſunt apud ſcholiaſtam, qui quidem iam interpolatam lectionem habuit. Ἡ δὲ τύχη, inquit, νῦν ἐν εὐόπτῳ κοίτῃ, τοῦτ' ἔστιν ἐν ἀγαθῇ καταστάσει πρὸς τὸ ἰδεῖν τὰ νῦν γεγονότα, καὶ ἑτέρων λεγόντων ἀκοῦσαι. λείπει τὸ ἐστί.

V. 988.

ἥτις δ' ἐπ' ἀνδρὶ τοῦτ' ἐμήσατο στύγος,
ἐξ οὗ τέκνων ἤνεγχ' ὑπὸ ζώνην βάρος,

φίλον τέως, νῦν δ' ἐχθρόν, ὡς φαίνει, κακόν.
τί σοι δοκεῖ; μύραινα γ' ἤτ' ἔχιδν' ἔφυ,
σήπειν θίγουσ' ἂν ἄλλον οὐ δεδηγμένον
τόλμης ἕκατι κἀδίκου φρονήματος.

Quis non videt, quam haec inconcinna et omni nexu destituta sint. Praeterea infinitiuus σήπειν non habet, vnde pendeat. Quare Schützius σήποι scribendum censet. Equidem alia ratione hunc locum persanandum arbitror. Scribo enim:

ἥτις δ' ἐπ' ἀνδρὶ τοῦτ' ἐμήσατο στύγος,
ἐξ οὗ τέκνων ἤνεγχ' ὑπὸ ζώνην βάρος,
φίλον τέως, νῦν δ' ἐχθρόν, ὡς φαίνει, κακόν,
σὺ σοι δοκεῖ, μύραινά γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ,
σήπειν θίγουσ' ἂν ἄλλον οὐ δεδηγμένον,
τόλμης ἕκατι κἀδίκου φρονήματος.

Μύραινά γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ, vt Pindarus Pyth. IV. 138. ξεῖνος αἴτ' ὦν ἀστός.

V. 1004. sequuntur anapaesti, qui sic restituendi videntur:

αἶ αἶ,
μελέων ἔργων· στυγερῷ θανάτῳ

διεπράχθης, ἓ ἕ.
μίμνοντί δὲ καὶ πάθος ἀνθεῖ.

ἓ ἕ ad praecedentia referendum: μίμνοντι autem etiam fcholiaftes videtur legiffe, cuius haec verba funt: τῷ τοιαῦτα πράξαντι χρόνῳ πάθος ἀνθεῖ: fed hic male locum intellexit, et μίμνοντι putauit de Clytaemneftra dictum, quae perpetrata caede poenae diu feruata effet. Immo chorus, fortem Agamemnonis deplorans, etiam fuperftiti Orefti abunde infelicitatis effe dicit. Nec neceffe eft, vt δράσαντι vel fimile quid dicat, quo deinde Oreftes pergere poffit, ἔδρασεν, ἢ οὐκ ἔδρασεν; Quin haec eo maiorem vim habent, quo funt abruptiora. Atque ipfum illud ambiguum chori dictum, μίμνοντι δὲ καὶ πάθος ἀνθεῖ, fatis amplam Orefti praebet de fe et facinore fuo fortunaque cogitandi materiam.

Alii deinde anapaefti, quibus chorus v. 1015. Orefti refpondet multo magis corrupti funt. Sed qui verfati funt in Graecis tragoediis, nihil prorfus nobis audaciam exprobrabunt ita fcribentibus:

οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον
διὰ πάντ' ἄτιτος

διαμείψεται, ὦ τέκνον· ἐς μόχθον
δ᾽ ὁ μὲν αὐτίχ᾽, ὁ δ᾽ ὕστερον ἥξει.

Nec *χοηφόρους παρθένους*, quae inepte in perfonarum huius fabulae titulo numerantur, dedecere hanc compellationem, *ὦ τέκνον*, verfus 519. docet, vbi iisdem verbis vtuntur.

V. 1011. Hunc locum vno fpiritu mutato fic fcribendum cenfeo,

νῦν αὐτὸν αἰνῶ, νῦν ἀποιμώζω παρών,
πατροκτόνον θ᾽ ὕφασμα προσφωνῶν τόδε,
ἀλγῶ μὲν ἔργα καὶ πάθος, γένος τε πᾶν,
ἄζηλα νίκης τῆσδ᾽ ἔχων μιάσματα.

Αὐτὸν pro *ἐμαυτὸν* dictum. Ita fupra v. 218.

αὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ γ᾽ ἆρα μηχανορῥαφῶ,

vt recte ibi Abrefchius.

V. 1018.

ἄλλος γ᾽ ἂν εἴδοι, τοῦτ᾽ ἄρ᾽ οἶδ᾽ ὅπη τελεῖ.

Haec fine dubitatione fic fcribenda:

ἄλλος τάδ᾽ εἴδῃ· τοῦτ᾽ ἄρ᾽ οἶδ᾽ ὅπη τελεῖ.

Recte libri *εἴδῃ*. Alius haec fciat.

V. 1037.

τὰ δ' ἐν χρόνῳ μοι πάντας Ἀργείους λέγω
καὶ μαρτυρεῖν μοι, λεὼς ἐπορσύνθη κακά.

Ex Aldo adnotatur μενέλεως. Virorum doctorum coniecturae quum longius, quam opus esse videtur, ab librorum scriptura recedant, ita hos versus legendos existimo:

τὰ δ' ἐν χρόνῳ μοι πάντας Ἀργείους λέγω
καὶ μαρτυρεῖν, μέλε' ὡς ἐπορσύνθη κακά.

Καί, hyperbaton, pro καὶ πάντας Ἀργείους, vt saepius, apud Aeschylum maxime et Pindarum, cuius quaedam loca notaui ad Olymp. V.

V. 1046. Miror Aeschyli editores vocabulum φαιοχίτωνες, quo secunda syllaba produceretur, φαιωχίτωνες scribendum putasse: quod analogiae omni repugnat, neque vllo pacto defendi potest. Scribendum erat, φαιοκχίτωνες, quemadmodum ἰάκχειν scribitur, et ὀκχέοντι apud Pindarum Olymp. II. 122. et ὄκχον apud eumdem Olymp. VI. 40.

V. 1048.

τίνες σε δόξαι, φίλτατ' ἀνθρώπων πατρὶ
στροβοῦσιν; ἴσχε, μὴ φοβοῦ νικῶν πολύ.

Horum verborum poſtrema bene emendata in Porſoni editione leguntur. Sed ne priora quidem vitio carent. Nam πατρί, ſi ad φίλτατε referatur, ieiunum hic eſt, vbi chorus ipſe ſuam Oreſti beneuolentiam demonſtrare debet; ſin vero ad στροβοῦσιν trahatur, ſenſu omni caret. Quamobrem ita corrigendum puto:

τίνες σε δόξαι, φίλτατ' ἀνθρώπων, πάτρας
στροβοῦσιν; ἴσχε, μὴ φοβοῦ νικῶ πολύ.

Quae te ſimulacra, inquit, e patria exturbant? Mutatio haec paene nulla videbitur reputantibus, mutata, vt fieri ſolet, dialecto, verba πάτρης στροβοῦσι iotaciſmi vitio facillime corrumpi potuiſſe.

V. 1062.

ὅδε τοι μελάθροις τοῖς βασιλείοις
τρίτος αὖ χειμὼν
πνεούσας γονίας ἐτελέσθη.

Hic quidem nihil videtur eſſe, ex quo quis tutam ſatis coniecturam eruere poſſit, niſi librorum acceſſerit auctoritas. Quare neſcio an ſatius ſit interpretationem ſequi acutiſſimam, quam nuper Schneiderus in lexico Graeco pro-

tulit, v. γόνιος. Is in eo tantum ab ſcholiaſta diſcedit, quod γονίας genitiuum putat eſſe, intellecto αὔρας, vt γονία αὔρα eadem ſit, quae γονίμη. Caeterum Dorice ſcribendum πνεύσας pro πνεούσας. Id quum ſcholiaſtes neſciret, πνεύσας pro participio aoriſti habuit, vnde etiam γονίας ipſi nominatiuus eſſe viſus eſt.

CAP. XI.

Emendatur Euripides duobus locis in Hercule furente.

Quod supra dixi, quae in tragicis poetis vulgo monostrophica carmina putantur, maximam partem antistrophica esse, id inprimis etiam apud Euripidem meminisse oportet. Cuius quum pleraeque tragoediae omnino corruptissimae sint, tum illae hoc minus in meliorem conditionem adduci potuere, quod metri ratio criticos prope omnes falleret. Nec sane hoc expeditum quiddam et paruae operae est, antistrophica carmina e tanto corruptionum squalore eruere, quae saepe ita abscondita latent, vt vix tenuissima eorum vestigia appareant. Atque in Hercule furente locum, qui inde a v. 107. legitur, antistrophicorum lege scriptum esse, primus Tyrwhittus obseruauit. Quem locum quoniam Musgrauius non ex omni parte persanasse videtur, operae pretium me facturum arbitror, si denuo ei limam adhibuero. Legitur autem vulgo sic:

ὑπώροφα μέλαθρα καὶ γεραιὰ
δέμνι᾽, ἀμφὶ βάκτροις
ἔρεισμα θέμενος, ἐστάλην ἰηλέμων
γόων ἀοιδός, ὥστε πόλιος ὄρνις,
ἔπεα μόνον καὶ δόκημα νυκτερωπὸν
ἐννύχων ὀνείρων,
τρομερὰ μόνον, ἀλλ᾽ ὅμως πρόθυμα.
ἰὼ τέκεα, τέκεα πατρὸς
ἀπάτορ᾽, ὦ γεραιέ,
σύ τε, τάλαινα μᾶτερ, ἃ
τὸν αἴδα δόμοις πόσιν
ἀναστενάζεις,
μὴ προκάμητε πόδα, βαρύ τε κῶλον,
ὥστε πρὸς πετραῖον
λέπας ζυγηφόρον
πῶλον ἀνέντες, ὡς
βάρος φέρων τροχηλάτοιο πώλου,
λαβοῦ χερῶν καὶ πέπλων,
ὅτου λέλοιπε ποδὸς ἀμαυρὸν ἴχνος.
γέρων γέροντα παρακόμιζε,
τὸ πάρος ἐν ἡλίκων πόνοις,
ᾧ ξύνοπλα δούρατα νέα

νέῳ ξυνῆν ποτ', εὐκλεεστάτας
πατρίδος οὐκ ὀνείδη.

In quibus id recte fecit Musgrauius, quod pro πώλου ſcripſit βώλου, et τρομερὰ μὲν e Tyrwhitti ſententia pro τρομερὰ μόνον. Caetera non probo, ὑψόροφα pro ὑπώροφα, ἐξῆλθον pro ἐστάλην, πόδα προκάμητε pro προκάμητε πόδα, ὦ ξύνοπλα δόρατα νέα τὸ πάρος ἐν ξυνηλίκων πόνοις νέῳ ξυνῆν pro τὸ πάρος ἐν ἡλίκων πόνοις ὦ ξύνοπλα δούρατα νέα νέῳ ξυνῆν. Quibus omnibus mutationibus non eſt opus. Sic enim hoc carmen ſcribendum eſt:

ὑπώροφα μέλαθρα καὶ γεραιὰ
δέμνι', ἀμφὶ βάκτροις
ἔρειςμα θέμενος, ἔκ-
βαλον ἰαλέμων
5 γόων ἀοιδὸς, ὥςτε πόλιος ὄρνις,
ἔπεα μόνον καὶ δόκημα νυκτερωπὸν
ἐννύχων ὀνείρων,
τρομερὰ μέν, ἀλλ' ὅμως πρόθυμα.
ὦ τέκεα πατρὸς ἀπάτορ', ὦ
10 γεραιέ, σύ τε τάλαινα μᾶ-
τερ, ἃ τὸν ἐν αΐδα δόμοις
πόσιν ἀναστενάζεις.

Antiſtropha autem ſic:

μὴ προκάμητε πόδα βαρύ τε κῶλον,
ὥστε πρὸς πετραῖον
λέπας ζυγηφόρον
πῶλον ἀνέντες, ὡς
5 βάρος φέρω τροχηλάτοιο βώλου.
λαβοῦ χερῶν καὶ πέπλων, ὅτου λέλοιπε
ποδὸς ἀμαυρὸν ἴχνος.
γέρων γέροντα παρακόμιζε,
τὸ πάρος ἐν ἡλίκων πόνοις
10 ᾧ ξύνοπλα δόρατα νέα νέῳ
ξυνῆν ποτ', εὐκλεεστάτας
πατρίδος οὐκ ὀνείδη.

Horum verſuum primus ex antiſpaſto et dochmio biſyllabam anacruſin habente compoſitus eſt, vt nulla mutatione neque in ſtropha neque in antiſtropha opus habeat. Deinde pro ἐστάλην, quod, quum hic locum habere nequeat, audacius a Musgrauio in ἐξῆλθον mutatum fuit, ἔκβαλον ſcripſi, quod longe propius ad librorum lectionem accedit. Ἐκβάλλειν autem *exire* ſignificat. Euripides in Electra v. 95.

ἀφικόμην

πρὸς τέρμονας γῆς τῆσδ᾽; ἵν᾽ ἐκβάλω ποδὶ

ἄλλην ἐπ᾽ αἶαν.

Porro pro ἰὼ τέκεα, τέκεα scripsi ὦ τέκεα. Nihil enim frequentius in tragicis est, quam aut male additae a scribis repetitiones, aut male omissae. Paullo post τὸν ἐν αἴδα δόμοις scribi debebat. In antistropha autem πόδα βαρύ τε κῶλον, intellecto κατά, cum προκάμητε iungenda sunt. Ne nimis festinate, inquit, membris senio grauibus, nec velut iugali equo cliuum adscendenti frena remittite. Remittuntur enim equis frena, vt celerius eant, quod artis vocabulo διδόναι χαλινὸν dicebatur, vt apud Xenophontem in libello de re equestri cap. X. 11. 15. XI. 3. idque omnino fit in locis accliuibus, quum contra in decliuibus attrahantur. Deinde φέρω, vt Heathius, scripsi, sed vt is indicatiuus, non coniunctiuus sit, quemadmodum illi placet. Ne festinate, inquit, quandoquidem senectutis onere premor. Βάρος τροχηλάτοιο βώλου dictum videtur, vt apud nos quoque, qui membris e morbo grauibus incedunt, veluti lapidem molarem gestare se dicunt.

Alius eſt praeter hunc in Hercule furente locus, quem diu dubitaui an carminis antiſtrophici regula ſcriptum putarem. Cuius rei quum certa quaedam mihi viderer indicia reperiſſe, eruere carminis legem atque emendare lectionem auſus ſum. Quarum emendationum ſi quae paullo audacius factae videbuntur, eorum certe non magnopere metuam iudicium, qui quam corruptus ſit Euripides ſciunt. Locus autem hic, qui inde a v. 874. legitur, ſic vulgo ſcribitur:

ὀτοτοτοτοτοί,
στέναξον· ἀποκείρεται σὸν ἄνθος,
πόλις, ὁ Διὸς ἔκγονος·
μέλεος Ἑλλάς, ἃ τὸν εὐεργέταν
ἀποβαλεῖς, ὀλεῖς μανίαισι Λύσσας
χορευθέντ' ἐναύλοις.
βέβακεν ἐν δίφροισιν ἁ πολύστονος,
ἅρμασι δ' ἐνδίδωσι κέντρον, ὡς ἐπὶ λώβᾳ,
νυκτὸς Γοργὼν, ἑκατὸν κεφαλαῖς,
ὀφέων ἰαχήμασι Λύσσα μαρμαρωπός.
ταχὺ τὸν εὐτυχῆ μετέβαλε δαίμων.
ταχὺ δὲ πρὸς πατρός, τέκν', ἐκπνεύσατε.
ἰώ μοι μέλεος· ἰὼ Ζεῦ, τὸ σὸν γένος ἄγονον αὐτίκα.

Λύσσα δέ σ' ὠμόβρωτος, ἀποινόδικοι
δίκαι, κακοῖσιν ἐκπατάσσουσιν· ἰὼ στέγαι.
κατάρχεται χόρευμα τυμπάνων ἄτερ,
οὐ Βρομίῳ κεχαρισμένα θύρσῳ, ἰὼ δόμοι,
πρὸς αἵματ' οὐχὶ τᾶς Διονυσιάδος
βοτρύων ἐπὶ χεύμασι λώβας.
Φυγῇ, τέκν', ἐξορμᾶτε·
δάϊον τόδε, δάϊον
μέλος ἐπαυλεῖται,
κυναγετεῖ τε τέκνων διωγμόν.
οὔποτ' ἄκραντα δόμοισι
Λύσσα βακχεύσει.
αἲ αἲ κακῶν·
αἲ αἲ δῆτα.
τὸν γεραιὸν ὡς στένω
πατέρα, τάν τε παιδοτρόφον·
μάταν τέκεα γεννᾶται.
ἰδού, ἰδού.
θύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη.
ἢ ἢ τί δρᾷς, ὦ παῖ Διός;
μελάθρῳ τάραγμα ταρτάρειον,
ὡς ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλάς,
εἰς δόμους πέμπεις.

ΑΓΓΕΛΟΣ

ὦ λευκὰ γήρᾳ σώματα.

ΧΟΡΟΣ

ἀνακαλεῖς με τίνα βοάν;

ΑΓΓΕΛΟΣ

ἄλαστα τὰν δόμοισι· μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι.

ΧΟΡΟΣ

αἲ αἴ.

ΑΓΓΕΛΟΣ

στενάζεθ', ὡς στενακτά.

δάϊοι φόνοι.

δάϊοι δὲ τοκέων χεῖρες.

οὐκ ἄν τις εἴποι μᾶλλον, ἢ πεπόνθαμεν.

ΧΟΡΟΣ

πῶς παισὶ στενακτὰν ἄταν,

ἄταν πατέρος ἀμφαίνεις;

λέγε, τίνα τρόπον ἔσσυτο θεόθεν

ἐπὶ μέλαθρα κακὰ τάδε,

τλήμονάς τε παίδων τύχας.

In his tres ſunt ſtrophae atque antiſtrophae, quas ita reſtituendas puto.

Stropha I

Ὀτοτοτοττοτοί, ὀτοτοτοί, στένα-
ξον, ἀποκείρεται σὸν ἄνθος, πόλις,
ὁ Διὸς ἔκγονος.
μέλεος Ἑλλάς, ἃ τὸν εὐεργέταν
5 ἀποβαλεῖς, ὀλεῖς μανίαισι Λύσσας
χορευθέντ' ἀναύλοις. ἰὼ κακά.
βέβακεν ἐν δίφροισιν ἁ πολύστονος.
ἅρματί τ' ἐνδίδωσιν κέντρον,
ὡς ἐπὶ λώβᾳ, νυκτὸς Γοργών,
10 ἑκατὸν κεφαλαῖς, ὀφέων ἰαχή-
μασι Λύσσα μαρμαρωπός.

Antiſtropha I

ταχὺ τὸν εὐτυχῆ μετέβαλε δαίμων.
ταχὺ δὲ πρὸς πατρός, τέκν', ἐκπνεύσετε.
ἰώ μοι, μέλεος·
τὸ σόν, Ζεῦ, γένος ἄγονον αὐτίκα.
5 Λύσσας δ' ὠμοβρῶτος ἀπηνεῖς δίκαι
κακοῖς ἐκπατάσσουσ'· ἰὼ στέγαι.
κατάρχεται χόρευμα τυμπάνων ἄτερ,

οὐ βρομίῳ κεχαρισμένα
θύρσῳ, ἰώ μοι, πρὸς δ' αἷμ', οὐχὶ
10 πρὸς τὰς Διονυσιάδας βοτρύων
ἐπιχευμάτεσσι λοιβάς.

Stropha II

φυγῆ, τέκν', ἐξορμᾶτε.
δάϊον τόδε, δάϊον
μέλος ἐπαυλεῖται, κυναγετεῖ τε
τέκνων διωγμόν.
5 οὔποτ' ἄκραντα δόμοισι Λύσ-
σα βακχεύσει.
αἶ αἶ κακῶν, αἶ δῆτα.
τὸν γεραιὸν ἀναστένω
πατέρα, τάν τε παιδοτρόφον

Antiſtropha II

μάταν τέκεα γεννᾶται.
. . . .
ἰδού, ἰδού, θύελλα σείει δῶμα,
συμπίπτει στέγη.
5 ἤ ἤ, τί δρᾷς,. ὦ παῖ Διός;
ἰὼ μέλαθρα.
τάραγμα ταρτάρειον,

ὡς ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ
Παλλάς, εἰς δόμους πέμπεις.

Stropha III

ΑΓΓΕΛΟΣ

ὦ λευκὰ σώματ'.

ΧΟΡΟΣ

ἀνακαλεῖς με τίνα βοάν;

ΑΓΓΕΛΟΣ

ἄλαστα τὰν δόμοις.

ΧΟΡΟΣ

μάντιν οὐχ
ἕτερον ἄξομαι.

ΑΓΓΕΛΟΣ

τεθνᾶσι παῖδες.

ΧΟΡΟΣ

αἶ αἶ.

ΑΓΓΕΛΟΣ

στενάζεθ', ὡς στενακτά.

ΧΟΡΟΣ

δάϊοι

5 φόνοι, δάϊοι δὲ τοκέων χεῖρες.

Antiſtropha III

ΑΓΓΕΛΟΣ

οὐκ ἄν τις εἴποι μᾶλλον, ἢ πεπόνθαμεν.

ΧΟΡΟΣ

παισὶ στενακτὰν ἄταν, ἄταν
πατέρος ἀμφαίνεις; τίνα τρόπον, λέγε,
τίνα τρόπον ἔσυτο θεόθεν ἐπὶ μέλαθρα κακὰ
5 τάδε, τλήμονές τε παίδων τύχαι.

Quod ad primam ſtropham attinet, ἀναύλοις ex elegantiſſima coniectura Tyrwhitti ſcripſi, quae firmatur etiam eo, quod infra legitur,

κατάρχεται χόρευμα τυμπάνων ἄτερ.

Deinde epiphonema ἰὼ κακὰ in ſtrophae v. 5. collocaui. Quam frequenter enim eiusmodi epiphonemata ab librariis aut omiſſa, aut male addita, aut loco ſuo mota ſint, neminem latet, qui aliquid ſtudii in legendis Graecorum poetarum tragoediis adhibuit. Hic autem vt epiphonema illud collocarem, non ſolum metri

necessitate, sed eo etiam adductus sum, quod in antistropha eodem loco simile epiphonema est, *ἰω στέγαι.* Denique pro his, *ἅρμασι δ' ἐνδίδωσι κέντρον*, scripsi *ἅρμασί τ' ἐνδίδωσιν κέντρον*, quod res ipsa exigit. Versus autem dimeter antispasticus est.

Antistropha prima pariter ac secunda a sententia incipit. Passim enim fieri in Graecorum tragoediis animaduertimus, vt cum stropharum circuitu etiam argumenti certae partes describantur, quae quum aliis rationibus, tum eo etiam discernuntur, quod aliqua sententia aut finiuntur, aut incipiunt. Nam aut summa eorum, quae ante dicta erant, in vnum quemdam communem locum colligitur, aut, quae deinceps dicenda sunt, ex aliqua sententia, tamquam e fonte et principio suo, deducuntur. Ita hic ex eo, quod chorus secundas res repente mutari dicit, ad Iouis progeniem transitur, quae clara quondam atque illustris, nunc ad interitum adducta sit. Similiter in secunda antistropha, quum Amphitruonem et Alcmenam deplorasset, frustra, inquit, liberi gignuntur: quippe hic Amphitruonis filius domum paternam diruit, et suos ipse natos trucidat.

Ad lectionem autem in prima antistropha quod attinet, praeter ea, quae ab aliis mutata

adsciui, verba ἰὼ Ζεῦ, τὸ σὸν γένος, metri caussa mutari debebant. Versu 5. pro Λύσσα δέ σ' (vel τ', quod alii habent) ὠμόβρωτος ἀποινόδικοι δίκαι κακοῖσιν ἐκπατάσσουσιν, Musgrauius scribebat

> Λύσσας δὲ σ' ὠμοβρῶτος ἀδικόποινοι
> δίκαι κακοῖσιν ἐκπατάσσουσιν.

Animaduerterat enim, ἀποινοδίκους δίκας hic locum non habere, quum non iure, sed maxima iniuria furor Herculi immittatur. Idque ipse Furor ante dixerat, vbi in scenam erat introductus. Hinc, quum Stephani MSS. habeant ἀπηνόδικοι δίκαι, ita scripsi:

> Λύσσας δ' ὠμοβρῶτος ἀπηνεῖς δίκαι
> κακοῖς ἐκπατάσσουσ'· ἰὼ στέγαι.

Nata enim speciosa satis corruptio male repetito vocabulo δίκαι. Recte vero ἀπηνεῖς δίκαι, quae non solum durae, sed etiam incongruae sint, et quas adhibere non deceat. Ita Aristophanes in Nubibus v. 973.

> ἐν παιδοτρίβου δὲ καθίζοντας τὸν μηρὸν ἔδει προβαλέσθαι
> τοὺς παῖδας, ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀπηνές.

Caeterum etiam illud animaduerti velim, in hoc verſu,

Λύσσας δ' ὠμοβρῶτος ἀπηνεῖς δίκαι,

qui e duobus dochmiis compoſitus eſt, ſecundum dochmium biſyllaba anacruſi incipere, quod etiam in ſtrophico eſt,

ἀποβαλεῖς, ὀλεῖς μανίαισι Λύσσας.

Quam conſuetudinem in verſibus dochmiacis ab Euripide ſeruatam eſſe in libro de metris ostendi p. 243. In iis, quae ſequuntur, malo χόρευμα retineri, quam e Stephani MSS. ſcribi χορεύματα, non quod de anapaeſto in trimetro ſollicitus ſim, quem iam Brunkius non alienum a tragicorum conſuetudine eſſe obſeruauit, (quin Aeſchylus etiam frequentauit eum) ſed quod dictio inaequabilior eſt et concitatior, ſi participium κεχαρισμένα aduerbii locum ſustinet, quae inaequabilitas et perturbatio in virtutibus huius loci numeranda eſt. Quae deinceps in hac antiſtropha de vulgari lectione mutaui, metri maxime cauſſa correcta ſunt.

In ſecunda ſtropha vnum αἰ deleri debebat. Tum pro, τὸν γεραιὸν ὡς στένω, repoſui, τὸν

γεραιὸν ἀναστένω, cuius verbi prima ſyllaba propter ſimilitudinem cum vltima praecedentis vocabuli exciderat. Verſus enim Glyconeus eſt. Ita Iphig. in Aul. v. 551.

τὸν ὄλβον αὐτοῦ τὸν πάροιθ᾽ ἀναστένω.

Nec ſane illo ὡς opus eſt: quo nunc vtitur, vt in Oreſte v. 1384. nunc non vtitur, vt in Herc. fur. v. 1045.

καὶ σὲ δακρύοις στένω, πρέσβυ, καὶ
τέκεα, καὶ τὸ καλλίνικον κάρα.

Aeſchylus in Prometheo v. 397.

στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ.

Antiſtrophae ſecundae ſecundus verſiculus, qui Glyconeus fuerit neceſſe eſt, excidit. Eum duo dochmiaci ſequuntur, alter e duobus dochmiis compoſitus, alter vnum tantummodo complectens. Quintus verſus dimeter antiſpaſticus eſt. Inde a ſexto inepte legebatur, μελάθρῳ τάραγμα ταρτάρειον εἰς δόμους πέμπεις. Quorſum enim haec tautologia? Alterutrum quidem ſatis erat, aut μελάθρῳ, aut εἰς δόμους. Neque hanc peruerſitatem Reiskii μελάθρων ἄραγμα ſubmovet. Itaque ἰὼ μέλαθρα ſcripſi, quo vis ſua

huic loco atque elegantia redditur. Eſt autem hic verſus monometer antiſpaſticus.

In tertia ſtropha, quae trimetro incipit, vocabulum γῆρα deleui, quod interpretamentum eſt. Recte enim λευκὰ σώματα ſimpliciter dicuntur de iis, qui ſenectute canuerunt. Ita in Supplicibus v. 50.

> ῥυσσὰ δὲ σαρκῶν πολιῶν
> καταδρύματα χειρῶν.

In iis, quae ſequuntur, non ſatis recte inſtituta erat perſonarum deſcriptio, quamquam res ipſa non obſcure indicat, a quo quidque dicatur. Nam quum nuncius dixiſſet, intolerabilia eſſe, quae in aedibus fierent, illa, *μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι*, nullam plane vim habitura eſſent, niſi a choro dicerentur. Hic enim, non opus eſt, inquit, vt alium vatem adducam, qui, quae iſtic fiant, exponat. Nam ipſe oculis ſuis cernebat corruentes aedes chorus. Tum illa, *τεθνᾶσι παῖδες*, rurſus ab nuncio dici, eiulatus chori oſtendit. Chorus deinde, quod recte vidit Musgrauius, etiam illa dicit, *δάιοι φόνοι, δάιοι δὲ τοκέων χέρες.* Iam vero quum nuncius paullo obſcurius dixiſſet,

οὐκ ἂν τις εἴποι μᾶλλον, ἢ πεπόνθαμεν,

quid aliud reſpondere chorus poteſt, quam vt aut interroget, quid iſtis verbis ſignificauerit nuncius, aut ipſe ea probabiliter interpretetur. At horum nihil in vulgata lectione:

πῶς παισὶ στενακτὰν ἄταν,
ἄταν πατέρος ἀμφαίνεις;

quae ne intelligi quidem poteſt. Quare, metro etiam admonente, πῶς deleui, quod e ſequente ſyllaba ortum erat, vt ſic interrogaret chorus,

παισὶ στενακτὰν ἄταν, ἄταν
πατέρος ἀμφαίνεις;

Liberis nimirum, inquit, deplorandam patris calamitatem ſignificas? ne quid forte aliud et grauius acciderit. In eaque ſententia confirmatus, enarrari iam ſibi caedem liberorum poſtulat. In hoc loco autem verba τίνα τρόπον, quae ſemel tantum in libris leguntur, iteraui. Quo facto verſus antiſtrophae optime cum ſtrophicis congruunt. Eorum primus et quartus trimetri ſunt, e quibus is, qui in antiſtropha quartus eſt, propter vehementiorem animi commotio-

nem vnice e breuibus ſyllabis compoſitus eſt. Secundus verſus Hipponacteus eſt ex antiſpaſto et dochmio, tertius denique et quintus aſynarteti ſunt e duobus dochmiis.

CAP. XII.

Exclamationum male a librariis repetitarum insigne exemplum ex Euripidis Hippolyto. Alius eiusdem fabulae locus emendatur.

Quod supra aliquoties a nobis adnotatum fuit, nulla in re liberiorem corrigendi potestatem critico concedendam esse, quam in delendis restituendisue exclamationum, compellationum, quaestionum repetitionibus, id nescio an nullo cuiusquam poetae loco clarius demonstrari queat, quam eo cantico, quo apud Euripidem Hippolytus cum ministris suis scenam ingreditur. Quod carmen quum non sit antistrophicum, eo magis vel corruptionibus librariorum obnoxium fuit, vel criticorum effugere potuit sagacitatem. Quamquam id quidem ego mirari numquam desino, quid sit, quod summi homines et qui penitus sunt Graecis litteris imbuti, numerorum tamen non modo scientiam perexiguam, sed ne sensum quidem aliquem, qui usu conficitur et exercitatione, habere videantur. Nihil est enim in numeris tam rude, tam inconditum,

tam hiulcum, quin placere iisdem ſoleat, quorum interdum adeo ſuperbae aures ſunt, iis vt ne cultiſſimi quidem atque elegantiſſimi numeri ſatisfaciant. Ea rè illi, quum ipſi antiquos poetas legunt, vt alia taceam, magnam certe partem voluptatis amittunt; quum autem eos edunt, eadem voluptate alios priuant. In quo genere vehementer dolendum eſt, quod, quemadmodum in omni hoc philoſophiae loco, qui de pulcritudine eſt, nihil certis poteſt atque explicatis notionibus ac definitionibus demonſtrari. Itaque vbi non de rectis et prauis, ſed de aptis atque ineptis, de pulcris et turpibus numeris agitur, ſuam quisque ſequitur opinionem, nec, quid aliis placeat, ſollicitus eſt. Eſt tamen hic quoque disſenſionis haud leuis vtilitas. Nam quum id tantum pulcrum habendum ſit, quod omnibus placere poſſit, nemo facile erit, quin, vbi alios ab ſe disſentientes animaduerterit, ſuum ipſe ſenſum in disceptationem adducat, et ſuumne an caeterorum iudicium culpa vacuum ſit, videat. Atque hoc quidem ego quoque efficere cupio in loco illo Euripidis, qui eſt in Hippolyto inde a v. 58. Quem locum, etiam vti a Brunkio correctus eſt, numeris minime elegantibus eſſe exiſtimo. Edidit autem ille ſic:

ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ

Ἕπεσθ' ᾄδοντες, ἕπεσθε
τὰν Διὸς οὐρανίαν Ἄρτεμιν,
60 Ἄρτεμιν, ᾇ μελόμεσθα.

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ

Πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρέ μοι, ὦ κόρα,
χαῖρέ μοι, Λατοῦς,
65 Ἄρτεμι, καὶ Διός,
καλλίστα πόλὺ παρθένων,
αἳ μέγαν κατ' οὐρανὸν
ναίουσ' εὐπατέρειαι αὐλὰν
Ζανός, πολύχρυσον οἶκον.
70 χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα,
καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
παρθένων, Ἄρτεμι.

In hoc loco tanta reperitur lectionis varietas, vt non mirum fit, quod plerique omnes, quid eligerent, vehementer dubitauerint. Ac primum v. 58. quum vulgo ἀείδοντες legeretur, Musgravius e codd. ᾄδοντες repofuit. Mox in quibus-

dam libris Ἄρτεμιν semel tantum inuenitur. Denique in iis, quae sequuntur, magna pars librorum sic habet: Ζανὸς γένεθλον, χαῖρε, χαῖρέ μοι ὦ κόρα Λατοῦς καὶ Διός, Ἄρτεμι, καλλίστα πολὺ παρθένων, ἃ μέγα κατ' οὐρανὸν ναίεις εὐπατέρειαν αὐλάν. Inde Valkenarius ita legendum coniicit:

ἃ μέγαν κατ' οὐρανὸν
ναίεις εὐπατέρειά γ' αὐλὰν
Ζανός, πολύχρυσον οἶκον.

Quem ego vehementer miror in eorum opinione esse, qui vbique istud γὲ numerorum caussa intrudendum putant, neque animaduertunt, quam ineptum ea re ac ridiculum saepe poetis sensum affingant. Eiusmodi vero commenta Barnesiis et Pauwiis digna sunt. Idem tamen Valkenarius eodem vitio affecit Hippolyti v. 79. quem locum ita correxit:

ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλὰ γ' ἡ Φύσις
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς,
τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.

Eamque mutationem etiam Brunkius recepit, quum antea legeretur, ἀλλ' ἐν τῇ Φύσει. Nimirum nullus criticorum huius loci vim percepit.

Quo factum est, vt etiam laborarent in eo versu, qui antecedit,

Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.

Nam quidquid ad defendendum vocabulum Αἰδὼς afferat Brunkius, quis tamen, quaeso, erit, qui, vt in Pudore nihil offendat, hoc certe possit intelligere, quare fluuii roribus irrigare et fecundare istud pratum Pudor dicatur? Sedem ibi suam habeat, tutetur illud, arceat inde profanos, alia omnia potius faciat, quam vt flumine riget, quod quare magis, quam caetera quaeuis, in Pudorem cadat, nullo pacto perspici potest. Deinde vero, quae sequuntur, quam abrupte sunt atque inconcinne cum Pudore isto iuncta et copulata. Videlicet quandoquidem sic est, vt Pudori istud pratum irrigare placeat, sane non licebit iis, qui a castis moribus abhorrent, flores Pudoris cura et prouidentia educatos decerpere. Quanto haec autem omnia sapientius instituisset Euripides, si ordinem inuertisset, atque idcirco, vt casti et sancti homines ex eo prato coronas sibi colligerent, floribus producendis atque alendis a Pudore prospici dixisset. Sic enim non mirum erat aut insolens, quod Pudor flumen per Dianae pratum duceret, qui id non temere

et fine cauſſa, ſed certo faceret et neceſſario conſilio. Quae quum ita ſint, quis dubitabit, quin ita ſcripſerit poeta:

> Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις,
> ὅσοις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ', ὧν ἡ φύσις
> τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς,
> τούτοις δρέπεσθαι· τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.

Pudor, inquit, fluuiatili rore hoc pratum fecundat, vt, qui natura ad caſtos mores comparati ſunt, inde ſibi coronas decerpant: turpem enim vitam agentibus nefas. Ac non adhibendam fuiſſe maiorem diſtinctionem poſt vocabulum δρόσοις, vel eo clarum eſt, quod alioqui dixiſſet Euripides, οἷς μὲν διδακτὸν μηδέν, eo vt deinde particula δὲ referretur.

Sed redeo ad eum locum, vnde diſceſſi. In quo primum non video, quare ἀείδοντες in ᾄδοντες mutatum fuerit, quum notum ſit ᾄδειν in iambis, ἀείδειν in melicis carminibus frequentari. Nec quidquam ad numeri elegantiam intereſt. Deinde, vt alia taceam, quae mihi in numeris diſplicent, omnium certe minime placet hic verſus trochaicus,

αἳ μέγαν κατ᾽ οὐρανόν,

qui meo quidem ſenſu cum caeteris numeris peſſime conſentit. In ſequente autem verſu,

ναίουσ᾽ εὐπατέρειαι αὐλάν,

intolerabilis hiatus eſt, de quo genere vitii expoſui in commentatione de metris Pindari. Hic quidem hiatus mutata verſuum deſcriptione tolli poſſet. Sed alia ſunt in his verſibus, quae grauiorem dubitationem moueant. Nam ſi αἳ ναίουσι legimus, quid tum vocabulo εὐπατέρειαι fiet? Id in hac quidem verborum conſtructione non poteſt aliter intelligi, niſi vt adverbii vicem ſuſtineat: qui vſus hoc loco ineptus foret. Idem vitium etiam in Valkenarii coniectura eſt, ἃ ναίεις εὐπατέρεια αὐλὰν Ζανός. In qua lectione, etiamſi verbum εὐπατέρεια pro vocatiuo haberetur, alia tamen non minor relinqueretur difficultas. Nam quas tum putaremus illas virgines eſſe, quas pulcritudine Diana antecelleret? Num deas alias? ſicut in Iphigenia Aul. 1522. Diana θεῶν ἄνασσα dicitur. At id clarius indicatum oportebat. An nymphas, de quibus in Odyſſea VI. 105. eſt,

τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ἀγρονόμοι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
πασάων θ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

et inde apud Virgilium quoque Aen. I. 499. At quis nymphas ſimpliciter παρθένους vocauit? Nam etſi Sophocles in Oedipo Rege v. 1102. vocabulum θυγάτηρ pro Nympha adhibuit, tamen illius loci ea ratio eſt, vt fieri non poſſit quin de Nympha intelligatur. Non magis καλλίστα παρθένων dici potuit Diana, tamquam quae omne muliebre genus pulcritudine ſuperaret, vt ab Arcadibus ſimplici καλλίστας cognomine colebatur Pauſania teſte VIII. 35. Nam quod ſimiliter ſcriptum videri poſſit ab Antipatro Sidonio epigr. XXIII. in Brunkii Analectis T. II. p. 11.

Ἄρτεμι, σοὶ ταύταν, εὐπάρθενε, πότνα γυναικῶν,
τὰν μίαν αἱ τρισσαὶ πέζαν ὑφηνάμεθα,

in eo πότνα γυναικῶν non, vt apud Homerum δῖα γυναικῶν, dictum eſt, ſed πότνα dominam ſignificat, ſicut de Diana eſt Iliad. XXI. 470. πότνια θηρῶν, et de Venere apud Pindarum Pyth. IV. 380. πότνια ὀξυτάτων βελέων. Similiter

Diana δέσποινα γυναικῶν in Sapphus epigrammate in Analectis Brunkii T. I. p. 55. et ἃ γυναικῶν μέγ' ἔχει κράτος in ſcolio ibidem p. 157. Quae quum ita ſint, facile intelligitur, in Hippolyto non ἃ ναίεις, ſed αἳ ναίουσιν αὐλὰν Ζανὸς ſcribendum eſſe. Idque egregie confirmatur loco Leonidae Tarentini, qui epigr. XX. in Brunkii Analectis ſic ſcribit:

> κουρᾶν καλλίστη Διός, Ἄρτεμι, τοῦτο τὸ νῆμα
> πρὸς ψυχῆς θείης τὴν τριπόνητον ἔριν.

Sed ex hoc loco nolim lectionem εὐπατέρειαι, defendi. Idem enim ſignificatur praeclara lectione codicum, εὐπατέρειαν αὐλάν, quae licet Valkenario non ſatis placeat, tamen quo exquiſitior eſt, eo videtur verior eſſe. Ac recte tuetur eam Spanhemius ad Callim. hymn. in Dian. v. 4. prolato alio Euripidis verſu,

> ἁ τῶν εὐπατριδᾶν γεγῶσ' οἴκων,

qui non in Alceſtide, vnde ille eum affert, ſed in Ione eſt 1073.

Denique vltima, χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα, καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον παρθένων, Ἄρτεμι, vti nu-

meris haud ſane ſunt elegantiſſimis, ita deteriora etiam ſunt, quod ad rem ipſam attinet. Nam cur haec, obſecro, iterantur? cur iisdem plane verbis? cur omiſſo ornatu, qui in ſuperioribus erat? Si ornatiora ſuperioribus et ſplendidiora eſſent, vis aliqua repetitioni et virtus accederet. Nunc tantum abeſt, vt ea, quae iam dicta ſunt, augeantur hac repetitione, vt potius vis infringatur et motus omnis langueſcat. Complectar breui: tam manifeſta in his ſunt interpretamenti indicia, vt mirer, quid ſit, quod tam languidum additamentum non pridem eiectum fuerit. Commode tamen hoc ſcholion eum nobis vſum praeſtat, vt inde colligamus, olim v. 67. pro οὐρανὸν lectum fuiſſe Ὄλυμπον.

Deleto igitur hoc interpretamento, et optima plurimorum codd. lectione reuocata, ita hunc locum, numeris etiam cultiſſimis, reſtituendum putamus:

ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ

Ἕπεσθ' ἀείδοντες, ἕπεσθε,
τὰν Διὸς οὐρανίαν
Ἄρτεμιν, ᾇ μελόμεσθα.

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ

Πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρε, χαῖρέ μοι, ὦ κόρα
Λατοῦς καὶ Διός, Ἄρτεμι,
καλλίστα πολὺ παρθένων,
αἳ μέγαν κατ' Ὄλυμπον
ναίουσ' εὐπατέρειαν
αὐλὰν Ζανός,
πολύχρυσον οἶκον.